


Piæ, ac religiosæ

# MEDITATIONES

PRAECLARI IVRISC.

# FLAMINII DE RVBEIS VTINENSIS

*in acerbissima* IESV CHRISTI, *Cruce, & morte affecti tormenta, & cruciatus.*

## AD ILL.mum CARDINALEM SARNANVM.




*VTINI, Cum licentia Superiorum. M.D.XCV.*



# Illust.mo & Reuer.mo
# CONSTANTIO SARNANO

*S. R. E. tit. S. Petri in Monte aureo* CARDINALI, *Domino suo obseruandissimo.*



VM summos diu in Cæsareo, Pontificioque iure diligenter examinando, disquirendoque labores exantlassem, atque in agendis in foro causis, clientibus defendendis, dandisq; responsis omnem planè ætatem contriuissem, inquietam hanc vitam fastidiens, tandem quasi ad me reuersus, & me ipsum colligens, de animæ salute cogitare cœpi. Cùm verò sacri dies appetijssent, quibus veteri piæ matris Ecclesiæ consuetudine, & instituto nobis recolendum proponitur, quicquid assertor noster in reparationem humani generis miserabiliter, & indignè, cùm animo, tùm corpore vsque ad necem perpessus est, ad illius ego Cruci suffixi imaginem prouolutus, cœpi cum eo tristis rationes perputare, ante actam vitam dispicere, contemplari, accusare, melioremq; in posterum profiteri. Dei misericordiam, benignitatemq; demirabar, qui meam tamdiu æquo animo tulisset iniquitatem, graduq; tam lento ad vindictam sui procederet ira eius: amorem dehinc summum, immensamq;, & infinitam eius in genus humanum charitatem animo, & cogitatione complectebar; qui non pro iustis, & amicis, sed pro nobis hostibus, & iniquis-

ſimis, ac ſordidiſſimis mori, & ſacratiſſimum ſanguinem alacri, erectoq; animo profundere non fuerit dedignatus. Multa inſuper ad ſalutem pertinentia memoria, menteq; comprehendebam: fluebant lacrymæ: pectus anxium, & ſolicitum æſtuabat: ardebat cor, ſuſpiria, & gemitus erūpebant: & inter ſpem, & metum requies nulla dabatur animæ meæ. Quam felix Deus immortalis, quamq; beata mihi viſa eſt hæc vitæ commutatio. non infulas, & mitras Pontificias, non ſceptra, & coronas tanti faciendas, quanti pios gemitus ex imo pectore erutos exiſtimabam. O charæ lacrymæ, ò chariora ſuſpiria: ò dulces cogitationes, ò dulciores collocutiones: ò dulciſſima tandem ſeruorum Dei conditio. Dum hæc ego mente contrecto, iucundiſſimas mihi ab ipſo Crucifixo meditationes afflari ſentiebam, quæ, ne exciderent, ſcriptis mandare inſtitueram. Cùm verò Vtinum aduentaſſet vir pietate, moribus, & doctrina ſpectatus, & clarus Simon Veronenſis ex Capucinorum familia, tui ſtudioſiſſimus, cuius ego conſuetudine quàm familiariſſimè vti ſolebam, dum concionatoris apud nos munus peregregiè functus eſt, & die quadam, vt fit, incidiſſet ſermo de Dominica paſſione, perſenſit, (nec ſatis ſcio vnde id illi ſubolere potuerit) me de hac ipſa re quædam literis mandaſſe. Quare is à me petere cœpit, & omni ſtudio contendere, vt legendi quæ ſcripſiſſem, ſibi copiam facerem. Ego verò, qui tantum virum ob eximias eius virtutes plurimi ſemper feci, cuiuſq; poſtulationes præcepti loco mihi ducendas arbitrabar, illius precibus ceſſi, quæq; conſcripſeram legendi ei facultatem dedi; cùm autem libellum perlegiſſet, placere ſibi commentationes, & cogitata mentis meæ dixit, ſimulq; hortatus eſt, vt illas in Chriſti fidelium gratiam, ſolatiumq; euulgarem. Quinetiam nimiam lentitudinem, & tergiuerſationem acriter accuſauit, qui paterer (vt aiebat) elargitum à Domino talentum in tenebris deliteſcere; cùm inde poſſent pij ſaltem homines, ſi non etiam eruditi, aliquid ſibi aliquando commodi comparare. Illud præterea addidit, me, niſi primo quoque tempore in vſum publicum edidiſſem, negligentiæ huius meæ rationem in extremo iudicio eſſe redditurum. Quibus cùm monitis, & præceptis, tùm increpationibus fateor me commotum penitus fuiſſe; quare factum eſt, vt chalcographo iam tandem meditationes ipſas excudendas permiſerim. Cæterum cùm aſciſcendus opuſculo patronus aliquis videretur, cuius auſpicijs excuſum, illius etiam au-

ctoritate,

ctoritate, & gratia à maleuolorum sermonibus immune, tutumq; redderetur, tu vnus occurristi Card ampliss. cuius clientelæ vti me, meaq; committerem, Simon ipse persuasit, & celebritas nominis tui, quæ longè, lateq; diffusa est, confirmauit. Neque verò cuiquam decentius hic Dominicæ passionis liber dicari posse videbatur, quàm tibi, qui vestigijs insistens Seraphici Francisci, cuius corpus ob exuberantiam eius in Christum Iesum pietatis, sacra Dominicorum vulnerum impressione meruit inscribi, eius etiam præcepta doctrinæ sequi profiteris. Ea præterea in te est, cùm virtus, & omnis doctrina liberalis, tùm vitæ sanctitas, & morum præstantia, vt omnes boni certissimum sibi in te præsidium situm esse arbitrentur. Quis autem carpere audeat tua subnixa auctoritate formis expressa volumina? quis extimescat libellus, aut manus audaces, aut dentes maledicos obtrectatorum, qui in fronte tuo nomine, ac numine insignitus in apertum exierit? Namq; (si verum fateri libet) tu is es, quicùm pauci conferri, præferri nemo omnino possit. Sic enim omni genere laudis excellis, vt mirandum non sit, si te boni omnes admirentur, & colant, seq; perbeatum meritò censeat, quicunque viam inuenerit, qua sese in clientelam tuam recipi aliquando possit. Non enim vanis huius corrupti seculi oblectamentis, & voluptatum illecebris, quas Plato escam malorum appellare consueuit, te vnquam dedisti; sed cùm thesauros possideas omnium scientiarum maximos, in amplectenda, colendaq; virtute, in parandis bonis, ingenuisq; artibus inter doctos, tam Theologos, quàm Philosophos vitam honestè, & laudabiliter traducis. Nulla est autem liberalis disciplina, nulla ars ingenuo, ciuiliq; digna homine, cuius tu solidam, absolutamque cognitionem non fueris assecutus. Quid dicam de Theologia, rerumq; diuinarum scientia, in quibus perscrutandis quantum olei, & operæ impẽderis, & in dies magis, magisq; insumas, & doctissimorũ virorum testimonia, & tua præcipua illa vis, & vbertas in disserendo, declarat? Mitto reliquas, sed innumeras, quę in te insident virtutes, quas vt non in vno quouis homine singulas reperire facilè est, sic in te sunt copiosissimæ, quas comitas, humanitas, & prudentia comitantur, & mirabiliter exornant. Verum cùm eas recensendi locus hic planè alienus videatur, pedem referens, hic finem facio. Non enim eo, vt te laudarem, consilio hæc mea instituta est oratio, sed maximarum laudum tuarum ita me perpulit admiratio, vt ab eis

non quidem commemorandis, sed aliqua ex parte adumbrandis mihi temperare non potuerim. Porrò laudibus ad cęlum efferendus est piæ recordationis Sixtus Quintus Pontif. Max. qui te ad tantæ dignitatis fastigium euexit, quique celeberrimi Cardinalium Collegij dignitatem tui in illorum ordinem cooptatione, non solum auxerit, sed etiam illustrauerit; vnde non immeritò facilem iam tibi ad amplissimum, omniumq; maximum Sacerdotium aditum patere, summis virtutibus tuis id sibi iure planè suo deposcentibus & auguror coniectura, & expeto, neque, quòd te dignissimum omnes prædicant, despero futurum. Tu verò pater Illustrissime, quando te omni virtutis genere florentem par est, virtutis patrocinium suscipere, illisque vehementer fauere, qui ab ineunte propemodum ætate literis operam nauantes, asserere se à mortalitate monumento aliquo adnituntur, munusculum hoc meum, qualecunque est, quod nominis tui amplitudini do, dico, addico, alacri animo, & serena fronte tanquam perpetuæ meæ in te obseruantiæ pignus, quæ tua est benignitas singularis, accipere ne graueris. id verò si tibi non penitus improbari intellexero, maximum laboris mei fructum, me consecutum esse arbitrabor. Vale seculi nostri decus, & libellum hunc, meque ipsum totum in fidem, & clientelam tuam recipe, id quod à te, vehementer etiam, atque etiam peto, atque pro tua summa in literarum studiosos omnes propensione certò fore confido. Iterum vale.

Illustriss. atque Reuerendissimæ Do. tuæ addictus seruus

Flaminius de Rubeis Vtinensis Iurisc.

## Ad Clariss. Iurecons. D. Flaminium de Rubeis Vtinen. de pientissimis eius meditationibus.

### Simon Veronensis ex Capucinorum familia.

*AEtherias veluti se attollere semper in auras*
*Excita ab ardenti stipite flamma solet:*
*Sic tu mente petis summi penetralia cœli,*
*Hinc meritò à flamma nomen, & omen habes.*
*Dum pia dilecti meditaris vulnera CHRISTI,*
*Atque salutaris sensa verenda Crucis.*
*Vnde ego Iuliadum tibi, gloria prima, nepotum,*
*Auguror hæc meritis præmia digna tuis;*
*Dulcia ceu vincis facundi Nestoris ora,*
*Nestoris vt superes sic quoque secla senis.*

### Marci Antonij Fiducij Vtinensis ad Lectorem.

*SIcui dura riget circum præcordia cautes:*
*Concretusq; acri frigore sanguis hebet;*
*Clauum sume, ingens præfixa aut cuspide robur,*
*(Instrumenta nocis CHRISTE verenda tuæ)*
*Et fera tunde frequens præfracti marmora cordis;*
*Excudesq; ignis semina multa sacri.*
*Cuius ope ardentis mitescent viscera: & omnis*
*Lumina per glacies victa tepore fluet.*
*Flaminico, ista docent, meditata volumina sensu.*
*Perlege, & exiguo tempore sanctus eris.*

In

## In ſacras meditationes celeberrimi Iureconſ. D. Flaminij de Rubeis.

### Franciſci Amulij Vtinenſis.

*Vita eſt nulla, Crucis qui auulſus imagine ab huius,*
*Quiſquis aues tutam carpere in orbe viam.*
*Hic tu diuitias, & ſceptra, & regna, & honores*
*Deſpicis immenſi raptus amore Dei.*
*Vulneraq́; inſpiciens, CHRISTIq́; opprobria mille,*
*In Cruce quæ pro te, criminibusq́; tulit,*
*Munere vitæ huius defunctus, noſcere vitam*
*Tutius, aut melius non aliunde potes.*





# FLAMINII DE RVBEIS I. C. VTINENSIS

## In CHRISTVM passum Meditationes.





Votiescunque ad tuam in Cruce pendentis sacratissimam imaginem contemplandam, delitium animæ meæ Christe IESV, propius accedo (accedo autem quam sæpissimè) vel accusantis conscientiæ impulsu, vel insectantium inimicorum metu, vel flagellorũ iræ tuæ admonitu, vel numine sancti Spiritus afflatu, in metu sum primùm, mox lugeo miser, demum me totum in humiles preces demitto. Quæ enim admisi scelera, terrent animum: ciet lacrymas spes ipsa veniæ: clementia verò tua mentem meam in altissimam surrigit contemplationem. Nam licet peccatorum mole prematur anima mea, quæ propterea de suo periculo est sollicita, & futuram pertimescit cladem; meditatione tamen dulcissimi nominis IESV, & amarissimæ passionis memoria sustentata, proximè assurgit ad Deum, & quasi diuinitatem consecuta, beatorum spirituum cœtibus inseritur, Diuorumq; gaudijs, atque bonis omnibus profluenter expletur. Quid enim deest illi, qui Deo adhæret? non adhæret autem, qui mundi voluptates secutus abesse eligit sponte sua. Ego verò ad te, dulcissime IESV Christe, quasi postliminio reuersus, atque è durissima, longissimaq; captiuitate redemptus, supplices tendo manus, & in sanctorum ciuium ordinem cooptari vehementer peto. peto autem confidentissimè, nullis certè meritis meis, sed tua fretus pietate, quam in Cruce extenta brachia, caputq; proclinatum mihi non obscurè pollicentur. Suscipe igitur, meq; ne reijcias quæso.

so. reijcias autem? cùm latè profusus sanguis ingentem tuam in nos benignitatem, vehemensq́; reparandi humani generis desiderium euidentissimè commonstret? Quas verò ò bone IESV, linguæ, aut calamo, mens mea conceptas dictabit cogitationes? Nullas equidem video concipi digniores posse, quàm quæ Dei misericordiam complectantur: nullas vtiliores ijs, quibus mors, & cruciatus tui comprehendantur: nullas denique magis necessarias, quàm quæ delictorum meorum indagine excudantur; circa quæ versabitur, & exercebitur anima mea semper. Itaq; ò inanes cogitationes meæ, ò frigida, geluq; torpentia mea suspiria Christi pectus flagrantissimum subite, vt inde tantum flammei vaporis hauriatis, quantum ad colliquandum rigorem spiritus vestri, ipsumq; inflammandum, sat esse possit. Clauis calami: sanguine atramenti, & exangui corpore paginæ vice vtar in mentis meæ cogitatibus explicandis; atque vtinam sic vtar, vt expedit animæ meæ; in quo autem defecero, suppleat benignitas tua. Intonet verbum tuum in animam meam, vt illa repercussa, instar gratissimæ Echus, reddat voces laudum Dei, quæ solæ consternatos spiritus erigere, confirmare, ac delectare possunt. Vt enim vox ipsa sine verbo inanis est, sic & ego vir inops, & nuda vox, si incarnatum verbum non afflauerit, ieiunus ero, & frustra omnino laborauero. Vt autem aliquid proficiam, qui frontem tollere non audeo, ad pedes sanctissimos prouolutus, hos amplectar, hosce stringam, osculabor, lacrymisq́; indesinenter rigabo. Hos (inquam) osculabor, repetitisq́; basijs venerabor, qui continua lassitudine confecti, tam multos pro mea salute labores exantlarunt. Hos, qui pretiosissimo sanguine persusi, testes sunt amplissimi, certissimi, & locupletissimi cùm charitatis tuæ, tùm salutis meæ. Quoniam verò anima mea est sicut terra sine aqua tibi, sicciq́, oculi largos lacrymarum fontes effundere nequeũt, Magdalenam sanctissimam, quæ ab hisce diuelli nunquam potuit, precabor, vt eam mihi abs te impetret lacrymarum vim, quæ ad eluendas vitæ sordes, & animæ labes eximendas sufficere vbertim possit. Sufficient autem (id pro certo habeo) quoties purissimo Crucifixi mei cruore contactę, & diuini amoris incendio concalefactæ fuerint. Sic enim & animam ornabunt meam, & illam vsque adeo commouebunt, vt vberrimos discat reddere fructus pœnitentiæ dignos, æternæq; vitæ dulcedine refertos. Itaq; ne cessetis lacrymæ per Deum, nam licet molles, & minus sitis æstuosæ, tamen si non vi vestra, at saltem longo fluendi vsu, petram nostram, quæ Christus est, pertundetis. Sed quid nam viuas non stillabunt lacrymas oculi mei, videntes è sacro latere Crucifixi largos manare sanguinis, & aquæ riuos? & à toto patientis Christi corpore vndantem gratiarum copiam erumpere? Si Solis ea virtus est, vt tantam vaporis multitudinem suis attrahat ignibus, quanta in humorem pluuium conuersi, inebriandæ, fęcundandæq; terræ sufficiat, cur non & ipse iustitiæ Sol noster è terreo corde meo lacrymarum eam educet copiam, quæ animam meam inebriare, fęcundareq́;, & mundare à peccatis possit? Te ipsum compello IESV, vt quid facturus, sim doceas. Quid? mortuo verba faciam viuus? imò verò

mortuus

mortuus ego,tu viuus viuentium Deus,qui cunctis vitam inſpiras. Locutus es nobis Deus homo factus, dum in terris,atque inter homines verſabaris: Loquere nunc in ſede maieſtatis tuæ ſedens ad cor meum, cùm ſit ſermo tuus penetrabilior omni gladio ancipiti, vt faciam voluntatem tuam, diſcamque enarrare eloquia tua dulciora ſuper mel, & fauum ori meo. Ah Domine,neſcio loqui,tu,tu,qui facis balbutientium linguas eſſe diſertas, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Tua ea prima ſit laus,quòd nos ab æterno,& antequam eſſemus, ante ipſam mundi conſtitutionem ſingulariter dilexiſti. Cùm enim æterna productione genitus eſſes à patre ſine matre Deus, temporaria generatione in matris ventre,abſque patris miniſterio naſci voluiſti, vt patris altera, alteraq; matris tantùm concurſu perfecta eſſe videretur. Prior autem, quia ſpiritus fuit, Deum genuit: poſterior, quia carnis, hominem protulit; ſicque ſpiritus, & caro, Deum hominem effecere. Et ſummo quidem conſilio. quoniam cùm Dei maieſtas à primi hominum parentis peccato læſa eſſet,iuſteq; Deus ſatisfa ctionem repeteret,finitus homo, mortalis, & ex carne; infinito, immortaliq; Deo, qui ſpiritus eſt, ſatisfacere haudquaquam poterat: Contra verò pro homine pati Deus non poterat natura impaſſibilis; ideoq; hypoſtaſi Deum, & hominem complectente opus fuit, vt ſic eſſet, qui pateretur, quique dignè perſolueret. Hinc humanam tu,mi Deus,naturam induere, & ex ſola muliere homo naſci dignatus es ſine patre, quemadmodum & prima fœmina è regione ſine matre educta eſt; tuæ veluti diuinitatis oblitus,vt humanitatis noſtræ miſerereris. O ineffabilem charitatē,ò mirum amorem, ò inenarrabilem dilectionem. verè nimiam, cùm effecerit, vt Deus exinaniret ſemetipſum formam ſerui accipiens, vt nos ſeruos dęmonum, ad cœli perduceret libertatem; eſſemusq; hæredes Dei,& cohæredes ipſius Chriſti. vnde quodammodo pluſquam filium nos Deus amare viſus eſt; cùm voluerit filium mori, vt nos viueremus: triſtari illum, vt nos læti efficeremur: vulnerari illum, vt nos ſanaremur: ſanguinem eius fundi, vt nos mundaremur. Quare non dixit Spiritu ſancto afflatus Ioannes,verbum carnem aſſumpſit, ſed verbum caro factum eſt,vt intelligeremus, viſceribus noſtris miſceri quodãmodo ſe totum voluiſſe Deum.O beatos homines,ſi tanti accepti muneris non erunt immemores; quorũ humilis conditio,non modo ſupra ipſa ſydera,ſed & ſupra Angelorum choros euecta eſt. Siquidem inclinauit cœlos, vt terram attolleret: humiliauit diuinitatem, vt extolleret humanitatem; vnde & dicimus verè terram noſtrã cœlos omnes ſupereminere. Cæterum licet hæc magna ſint,humanumq; excedant ingenium; meritum verò multo magis; ſunt tamen conſequentia maiora ſatis. quoniam non naſci modo inter nos homines voluiſti Deus, ſed & propter nos; nempe vt nos redimeres à peccato, & à peccati pœna, quæ mors eſt; ingentes pro nobis ſuſtinendo labores, dolores acerbiſſimos perferendo. Quicunque enim attentius vitam inſpexerit tuam,cognoſcet nihil ea durius, nihil miſerabilius excogitari poſſe. Nam incunabula in paupertate fuere: conſequens vita miſera, & omnis

calamitatis plenissima, mors denique ipsa infamis. Natus quippe es inter iumenta: reclinatus in præsepio: enutritus inter humiles, & egenos: destitutus ab omnibus: vitam laborando, sufferendo, esuriendo, ac sitiendo inter peccatores, publicanos, persecutoresq; traduxisti: Mortem verò inter spinas, clauos, lanceas, flagella, sputa, alapas, conuicia, improperia, latrones, & nebulones obijsti. Vix dum enim natum Herodes conquisiuit, vt occideret: fuga in Aegyptum miserias testatur: continuæ scribarum, & pharisæorum calumniæ ærumnas ostendunt: pontificum, iudicumq; criminationes, & iudicia testes sunt dolorum, langorum, & necis. Quid enim miserabilius, quàm non habere locum in diuersorio? Quid calamitosius, quàm non habere, vbi caput reclinari possit? cùm tamen etiã vulpes foueas habeãt, quibus se condant. Quid lacrymosius, quàm ab amicis deseri, ab inimicis capi, contumelijs affici, colaphos perpeti, sputis deturpari, alba veste publicè dehonestari, verberibus cædi, Crucisq; demum suspendio infamari, & de medio tolli? Sed iam ipsam meditemur passionem, immensamq; demiremur charitatem, patientiam, humilitatem, obedientiam, & bonitatem, vt discamus compati; & vt, qui iustè pro peccatis nostris affligimur, animo forti perferre ærumnas assuescamus; cùm tua omnis actio nostra esse debeat institutio. Sed vnde potissimum exordiar? num à cœna? an ab horto? an verò à captura? In cœna quippe charitatem, in horto constantiam, in captura maximè patientiã ostendisti; in quibus vnà coniunctæ inspiciuntur, cum charitate liberalitas, cum constantia humilitas, cum patientia virtus, & obedientia. Etenim quæ maior charitas esse potuit, quàm amicis, & inimicis pariter te ipsum totum exhibere? quæ liberalitas augustior, quàm carne, sanguineq; tuo dilectionis pignus obfirmare: omnesq; simul, & indifferenter cibo, potuq; cœlesti satiare? quæ animi fortitudo maior, quàm oblatam Crucem spontè suscipere, nec inter sanguinis sudorem deficere? quæ humilitas cum hac comparanda, qua in pectus pronus cadens, patrem adorare, & illius te subijcere voluntati non dubitasti, æqualitatis, vt Deus, cum illo quasi oblitus tuæ? Hem quis patientiam non miretur tuam, qui cùm Deus esses, impassibilis, & immortalis, pati tamen, & mori voluisti, & in ipsa morte dolores haurire acerbissimos, solusq; vehementius pati, quàm cuncti simul martyres, quot quot vnquam fuerunt, eruntve passi sunt, aut patientur? Caput enim perforatum acutissimarum spinarum aculeis, & arundine percussum: facies sputis deturpata: oculi velo cincti: genæ alapis contusæ: nares sputorum virulentorum odore tetro contactæ: os felle, & aceto collutum: aures execrandis detestationibus verberatæ: facies cruore madida: collum fune religatum, & obstrictum: humeri nil ferre assueti graui Crucis pondere onerati: dorso, brachijs, ventri, & reliquis sacratissimi corporis partibus tot impositæ plagæ, vt à planta pedis vsque ad verticem capitis nulla fuerit in te sanitas: manus cœli, & terræ fabricatrices, pedesq; Angelorum calcatores pungentibus transfixi clauis: latus demum lancea traiectum. O vos omnes, qui transitis per viam miserrimæ huius vitæ, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor

Christi

Christi nostri; si est virtus qualis virtus Christi nostri; si est obedientia, quæ hominis, Deiq; nostri obedientiam non dicam vincere, sed nec adæquare quidem possit. Sed quæ fuit cœna, in qua ipse etiam proditor accubuit; & in qua idem etiam ipse proditor ab ipsis sacratissimis manibus panem Angelorum, refectionemq; cœlestem sumere non exhorruit? ò monstrum, & portentũ hominis, qui tot bonis affectus, tot priuilegijs cohonestatus de benè de se merito tam malè mereri non dubitauit. O bonum IESVM, qui ob oculos stantem inimicum, iniquissimumq; pertulit discipulum. Quid? eiusne minus, quam cæterorum pedes lauit, dum suæ charitatis, humilitatisq; specimen memorandum reliquit? quo tempore cum Pascha illud cum discipulis suis manducare desiderio desiderasse affirmauit, carissimam sibi mortem sic fore pro suorum salute declarauit. Quis viuens vnquam viuis amicis comedendum se præbuit? & tamen certò scimus, non hic est corpus, sed hoc est corpus, illum pronunciasse, vt sacramenti realitatem intelligeremus. O sacrum mysterium, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Est enim operatus in nobis dominus tam admirandum opus, vt nec capere intellectus, nec lingua exprimere illud queat. Etenim licet magnum, & admirabile opus illud fuerit, quòd nostram induerit carnem: hoc tamen admirabilius cunctis omnino cæteris operibus est præferendum. nam in illo nostram assumpsit naturam, sed in hoc suam nobis largitus est diuinitatem cum humanitate coniunctam; quinetiam, vt apud Augustinum legimus, non diuinam hanc escam nos in nostram mutamus, sed ipsa potius in suam nos transmutat substantiam; vnde Deiformes, & vnius secum efficit naturæ, veluti ignis, qui ligni naturam in se trahit, & absumit, ita vt ipsum lignum in ignis naturam transmutet; quamquam nobiliori, & excellentiori modo hunc transmutationis effectum sanctissimum hoc operetur sacramentum. quia, scilicet nos & Dei templum constituit, & diuinæ consortes efficit naturæ; nos (inquam) qui vile stercus eramus prius, & diaboli mancipia: vnde Bernardus ait: aliud sequi IESVM: aliud tenere: aliud manducare. Sequi salubre consilium: tenere, & amplecti, gaudium solenne: manducare, vita beata. Veniat quæso dilectus meus in hortum suum, veniat è cœlestibus nuptijs vino ebrius, plenus gratiæ, & veritatis, ex delitiosissimo patris sinu procedens, omnino delectabilis, & consolatorius, delitijs spiritualibus affluens, paratus amabili sponsæ suæ pacis osculum dare. ò quæ felicitas cum illo conuiuari, qui semetipsum largitur in cibum; qui cœlum, terramq; implet gloria maiestatis suæ, & tractari tamen, & edi se patitur à nobis indignissimis terræ vermiculis. Aegros visitat: languentes solatur: lapsos erigit: desperatis animum addit: nutantes instruit: errantes reuocat: esurientes reficit: inflammat tepidos: in summa omnes curat infirmitates nostras, non peregrino quidem aliquo medicamento, sed pretioso corpore, & sanguine suo. O benignissime Domine, quid nobis amplius, ac fecisti, facere potuisses? Non ego quidem capere meo intellectu possum, potuisse te dignius, pretiosius, aut vtilius nobis elargiri

donum.

donum. Siquidem totum in nos gratiæ tuæ effudisti thesaurũ, sinumq́; pariter cœlestium diuitiarum expandisti. Decens quippe fuit, vt qui per mortiferum lapsus fuerat cibum, idem ipse erigeretur per vitæ panem; vt quem ligni fructus occiderat; fructu ligni pariter vitæ redderetur. In illa siquidem arbore mortis esca; in hac vitæ medicina pependit. hæc enim victima singularis æterno ab interitu soluit animas: quæ nobis illam vnigeniti mortem reparat, qui licet surgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur: tamen in se ipso immortaliter, atque incorruptibiliter viuens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur; eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in salutem populi diuiditur; eius sanguis, non iam in manibus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Est enim panis sapidus, & cœleste manna delitiarum spiritualium plenum, in quo nihil est asperum, cum non sit hordeum veteris testamenti per Moysis manus distributum, sed flos tritici, nempe gratiæ per Christum IESVM exhibitæ. In summa, in hoc dignissimo sacramento quicquid vel cogitari, vel exoptari potest, accipitur. Namq́; verus Dei filius IESVS Christus sumitur, verus Deus, & verus homo; qui vnum est semper cum patre, & Spiritusancto; quiq́; quicquid virtutis, ac meriti in vita, & passione sua exercuit, & obtinuit, in hoc ipso congessit diuinissimo sacramento; de cuius nobilitate, ac dignitate plura dicenda essent, si modo & breuitatis studium, & institutum meum, à quo longius deflectere non est in animo, ad hortum me non reuocarent. En video procul, & à discipulis segregatum orantem, dirosq́; corporis cruciatus auspicantem, largosq́; sanguinis riuos sola meditatione sudantem, humum amplectentem, vt illam deferat supra cœlos. Quid precaris, mi IESV benedicte, transferri poculum amarissimæ passionis, si in ipso sanctissimæ, atque indiuiduæ Trinitatis consistorio passurum te, & moriturum ab æterno, patre stipulante, spopondisti? Si cum hac ipsa Crucis lege carnem nostram assumpsisti? Deo quidem possibilia esse omnia constat: verum transferri calicem, ipsius indiuiduæ Trinitatis decretum reddit impossibile. Hæc tu nosti patri coæternus, & coæqualis Deus: sed tanquam homo patre minor, ad eum cuncta referebas. Hincq́; ineffabili humilitate tuam ipsius parentis voluntati subdidisti; vt nos sic edoceres, cunctis in rebus Dei voluntati obsequi oportere. Patris verbum, quo vsus es in precatione, affectum cordis, negotij magnitudinem, carnis passionem significauit, sed tuæ voluntatis parentis voluntati subiectio, animi constantiam, humilitatis profunditatem, & charitatis in nos tuæ perseuerantiam indicauit. Agonia, & in agonia oratio, sanguinisque sudor hominem, & supra hominem te esse probarunt, dolorumq́; simul, & pœnarum acerbitatem ostenderunt, vnde factum est, vt Angelica consolatione opus fuerit. Nam licet tibi Deo astiterint, & seruierint cunctæ Angelorum legiones semper, & incessanter, te tamen hominem Angelos solari decuit, qui patris pietatem testarentur, & reparationis humani generis vberrimos fructus magnificarent. At in oratione Angelus est consolator, non defensor, nec pater, nec ipse filius, nec Spiritussanctus,

nec

nec Patriarchæ, nec Prophetæ, nec Apostoli. Tu cùm esses patri vt Deus potestate non inferior, veluti si impar esses, patrem oras, & ter quidem priusquam Angelum ille ad te solandum mittat. Hem nos homunculi indignamur, si paululum quid morulæ interponatur in nostris precibus exaudiendis. Pro nobis sæpe; pro te autem positis genibus in horto ter precatus es tantùm. Tua precatione flecti se pater non est passus, cùm illi vnicus filius esses, vt nostras, qui serui sumus, audiret propitius preces. Sed ò fragilis natura hominum, ab oratione surgens, grauissimo soporatos somno discipulos inuenis. Vbi est illa Apostolorum constantia? vbi animi magnitudo? vbi commoriendi cum præceptore iactatio? Qui se mortem non vereri aiebant, in mortis Christi sui periculo, ne somnum quidem, qui mortis imago est, ab oculis proprijs arcere possunt? Tu bone, tu pie eorum fers imbecillitatem, quos nisi gratiæ contactu expergefaceres, perpetuus grauatos lethargus occuparet. Verum surgere, & orare eos iubes, ne incidant in tentationem, neve animum despondeant: illi verò & officij obliti sui, & amoris tui, ter dormiunt, moxq; fugiunt omnes, nec primum furentis turbæ sustinent conspectum. Ipse etiam prædilectus, & sanguine coniunctus, dimissa veste, teq; deserto, in fugam dilapsus est; nec discipulorum corypheus sistere gradum potuit. Nam licet alijs audacior gladium distrinxerit, Pontificisq; seruum sauciauerit, fugit tamen, priorisq; facinoris gloriam, turpi fuga mox fędauit. Vt autem, pijssime IESV, discipulos à corporis somno excitasti, sic & animam meam à peccati expergefac somno, vt tecum euigilet, & non æternis inuoluatur tenebris. Sic ad illam effare, ò benignissime. Surge eamus, quia ecce iam mors appropinquat, quæ te iam iam est apprehensura. Sed quo ibo, ò mi Saluator? Non dicis vade, sed eamus, ideo te sequar ducem, ac reducem meum. quia vbi tu es, ibi felicitas, ibi omne bonum inest. Verum qui tremor? quæ imbecillitas hæc tua est? Tristis (ais) est anima mea vsq; ad mortem. Scio delicta mea, ingratitudinemq; meam, quam tu perspectam habuisti, tantæ ansam trepidationi præbuisse. O ineffabilis bonitas, ò amor incomprehensibilis. omnium ferre peccata voluisti, qui solus eras absque peccato; & quia voluptate deliquimus, tu lethalibus voluisti scelera nostra cruciatibus expiare. Cùm enim in te, qui splendor es paternæ gloriæ, veluti in purissimo speculo elucerent futura omnia, peccata mundi, tanquàm si præsentia fuissent præuidisti; vnde tenerè viscera pietatis tuæ commota sunt, cum nostram miseriam, & infelicitatem doluisti. Vt enim ingenti cum dolore fœtum mater excludit, sic & tu inenarrabilibus tormentis, & cruciatibus nos in vitam æternam regenerasti. Nimirum ergo pauore, & tristitia cor tuum premi confessus es: nimirum pronus in multa spiritus angustia, sudore sanguineo persusus, iacuisti; quasi à parente, & ab hominibus derelictus, non secus ac si flagitiosus, publicusque peccator esses, indignusque qui à patre audireris; cuius rei causa in te omnem patris iram exonerari passus es; licet horrendum habitum sit semper incidere in manus Dei. Age verò armorum, & fustium fragore accedunt milites, stulti quidem,

cùm vltrò te offeras: stulti magis, in nocte per proditorem, cum quotidie in te mplo solus docueris. verumtamen tempori factum respondet; nempe tenebras tenebroso tempore tenebrosum opus patrare decuit. Sed quo te nunc trahunt mitissimum agnum lupi rapaces? vbi est ille timor, qui te paulo ante inuaserat? vbi gemitus illi graues? vbi mortis ingens horror? qui dudum absentibus hostibus tristabaris: qui sanguinem sudabas præ angustia: qui imminentem passionem à patre transferri precabaris: nunc ab oculos stantes non vereris inimicos, nec times, nec trepidas, sed animo inuicto, & intrepido corde ijs obuiam pergis. O dulcis amator hominum IESV, quis amor, quisve tam ardens affectus cor tuum absorbuit, vt ad mortem veluti ad nuptias properares? hostibus tanquàm amicis occurreres? & calicem, quem dudum tantopere exhorrueras, ardenti desiderio festinus arriperes? Perfectus amor quippe foras mittit timorem; ideo non pepercisti tibi, sed te ipsum vicisti, & parentis honorem ardenter sitisti, factus obediens vsque ad mortem: & tanquàm gigas exultasti ad currendam viam salutis nostræ. Ecquem tanta non moueat charitas? quem tantus non incendat affectus? Hoc amplius à Iuda ingratissimo discipulo osculum sacri oris petente, amabilissimam faciem tuam non auertisti: verùm eidem osculum dari passus es ab impurissimo omnium homine, à fędissimo omnium ore, atque à cunctorum spurcissimis labijs. quinetiam, vt illum in proprij erroris agnitionem traheres, & ad pœnitentiam reuocares, amicè admodum, ac mellifluis allocutus es verbis, dicens. Amice, ad quid venisti? quasi diceres: Itane de te meritus sum Iuda? an oblitus es humilitatis, & charitatis meæ, qui curuaui ante te genua mea, pedes tuos laui, & osculatus sum, hoc insuper, sacro corpore, & sanguine meo refeci te? num triginta argenteis me viliorem habes? quid fuit in causa, cur à me deficeres? an ne quòd te Apostolatus dignitate insigniuerim, veluti charissimum filium studiosè enutriuerim, & tanquàm dilectissimum sollicitissimè instituerim? Redi, redi ad te ipsum, & pœnitentiam age, quia multus sum ad ignoscendum Deus; qui nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. O bone IESV, quis iam se à lacrymis temperare poterit? ille quippe ferreo est animo, & omni silice duriore, qui vocibus tam pijs non commouetur: qui tam blandis sermonibus non frangitur. Diaboli filius erit profectò, qui de misericordia Dei deinceps desperauerit. Si enim proditorem, inimicum, infidum, & omnis generis flagitijs coinquinatum amplecteris, charius multò, & amantius asseclas, amicos, fideles, ac iustos amplexaberis. Verùm tam dulcis, tamq; suauis es, vt nec hostibus scias quidem quicquam præter amorem, & dilectionem impendere. Siquidem proditorem oscularis: amicum appellas: abscissam sanas auriculam: pro inimicis, & pro crucifixoribus deprecaris. Sed quàm grauiter tuleris domine à discipulo tuo tradi, tuus olim vates ante prædixit his verbis: Si inimicus meus male dixisset mihi, sustinuissem vtiq;. Etenim homo pacis meæ, amicus, & discipulus meus, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem, & vili me

pretio

pretio vendidit, & tradidit in mortem. Nunc oro te Domine, ne me commoueri inter inimicorum meorum iniurias patiaris, sed doceas imitari bonitatem tuam, qui proditorem excipis, deosculaṙis, & amicum appellas; qui facis oriri Solem tuum super bonos, & malos, & pluis super iustos, & iniustos; vt sic & ego forti animo iniurias feram, inimicos diligam, oremq; pro ijs, qui me persequuntur, & calumniantur. Ne, quæso, me arguas dicens: Amice ad quid venisti? quasi dixeris, de limo terræ formaui te: super opera manuum mearum te constitui, & omnia subieci sub pedibus tuis; creaui te ad imaginem, & similitudinem meam, vt esses mei contemplator, & legem meam custodires, tolleres Crucem tuam, & venires post me: tu autem ad quid venisti? qui irasceris, superbis, congregas, inuides, carni indulges, & gutturi, lasciuiendo, & ingurgitando; qui torpes, nec spinosi capitis te indignum membrum esse agnoscis, nempe delicatum membrum, putas adhuc sedem in cœlo paratam tibi? Non tanti vendo gloriam meam, quam inæstimabili sanguinis mei pretio comparaui. ideo mi Domine, non hic sensus verborum tuorum sit in me, sed dicas potius: Amice, ad quid venisti? hoc est, tantisne credististi frui bonis? quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, vt gaudium tuum plenum sit, neç quisquam illud à te tollat vnquam. Non enim oculus vidit, neç auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ ego præparaui diligentibus me. Sed iam contactu solo sanatam auriculam video, audentisque animum simul retusum audio, dum inimicos nequicquam lenis, & tuam diuinitatem ostendis, simulque discipuli audaciam infallibilis sententiæ metu comprimis, & refrenas. Abscissa quippe Synagogæ auricula, quæ non audit verbum, sed sua in duritie persistit. Sanas illum, vt quantum in te est, audiat, salueturque etiam Iudæus. Porrò quis bonitatem hic non miretur tuam? quis non deitatem notet? siquidem inimicos sanas, medicinam non adhibes præter illam, quæ manat ab ipso perenni diuinitatis fonte. Quòd si hostium mederis vulneribus, cur ego miser pijssimam reformidabo faciem tuam? cur non diris serpentum morsibus ægram, sauciatamque animam meam iam moribundam pijssimi Pelicani mei cruore curatam, conualituram sperem? Iam adsunt, qui te apprehendant: confluunt turbæ: vrgent ministri: impellunt milites: stringunt funes: trahunt carnifices. Alij fremunt in te dentibus: alij conuicijs exagitare non desistunt. Calce hic percutit, ille pugno, nec est, qui tui misereatur quisquam. Quò miseri immaculatum trahitis agnum? qui furor? quæ rabies? quæ crudelitas? quid admisit? quid errauit? in quo peccauit? In horam vsque sextam ingenti confligis bello mitissime IESV; vnde intrauerunt aquę vsque ad animam tuam; & circundederunt te canes multi, consiliumq; malignantium obsedit te; exacuerunt linguas suas tanquàm gladios. Sed perge, his quidem verum fateris te hominem: sed verum etiam Deum probas, cùm solo verbo insultantes reijcis, supinosque deijcis; tuorum verò incolumitatem ab hoste petis. O miram charitatem, qui te





negligis, amicos saluas: qui te exhibes, tuos abscondis. iam verò ò cohors militum, & ò ministri principum, & phariseorum, vbi est terror ille armorum? vbi insultantium audacia, si vox sola vnius dicentis: Ego sum, tantam turbam, odijs, armisque ferocem, ac terribilem, sine telo potuit repellere, percutere, sternere? sed si iudicandus hæc agit, quid iudicaturus faciet? nimirum, quia latebat Deus in carne, sempiternusque dies sic membris occultabatur humanis, vt laternis, & facibus quæreretur occidendus à tenebris, & vt eum illi sæuiendo quærebant, vt occiderent, sic & ipse mitissimus nos ipsos quærebat moriendo. Ducite iam innocentem scelestissimi balatrones ad impura subsellia. quid opus est falsis testibus? quid quæritis mendacia. Fatebitur quidem se Dei filium, sed non item suam conqueretur iniuriam. Tanquàm surdus non audiet, & tanquàm mutus tacebit; eritque vt homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Vinciri funibus patietur corpus suum, vt soluantur nexibus peccatorum religatæ animæ nostræ. Nec mirum, cùm ligari etiam iustæ iræ suæ manus permittat, vel vnico pectoris gemitu, & cordis suspirio. Sed quæ fuerit capientium rabies hinc coniectare licet, quòd nulla valens euangelista depromere verba ad explicandum apta, fecerunt, inquit, in eum quod voluerunt. quasi dixerit: quæsierant diu, sitiuerant illius sanguinem, in necem conspirauerant, mortuo non parcent, quid viuo? quid in ipso impetu primo? quia supinos verbo deiecerat, supinum, moxque & resupinum ad terram deiectum pugnis, calcibusque incessisse credendum est. quinetiam tot in eius faciem egesta fuisse phlegmata doctores testantur, vt parum abfuerit, quin halitu intercluso suffocatus expiraret; id quod haud dubiè contigisset, si modo diuinitatis potentia seruatus non fuisset. Videor mihi videre beatos spiritus, dum caperis, & contereris, ò bone IESV, pro te deprecantes, cœlorum virtutes se commouentes. Ego verò (ò me miserum) cuius causa pateris, vix commoueor, vix lacrymulam effundo. Nec satis perpendo maius mihi ex captura, & morte tua, quàm ex natiuitate iniectum obligationis vinculum, quemadmodum maius mortis, quàm natiuitatis meritum tuum fuit. Siquidem natus inter pientissimæ matris vlnas erás: captus verò inter duras ferocientium inimicorum manus iaces. tunc tanquàm Deus, & homo à Magis, & pastoribus adorabaris: nunc autem vt latro captus illuderis, & percuteris. Ibi regia offerebantur munera: hic verò blasphemiæ ingeruntur, conuicia, etiam verbera. Ah manus impia, quid Dominum meum cædis? Quid diuinam percutis faciem? illam (inquam) faciem, in quam desiderant Angeli prospicere: illam, quam Abraam videre cupiuit: illam, quam Dauid summis precibus sibi ostendi efflagitauit: illius faciem, qui Lunam lumine, Solem ardore, cœlos motu, mundum vicissitudine rerum ordinata indesinenter ornat: illius denique, qui cunctis rebus inanimis esse, vitam verò animantibus inspirat. Quid agitis ò supernæ virtutes? inultam ne abire hanc iniuriam diu permittetis? An ne fulmina desunt ætheri? lapides, & hiatus terræ? vertices, & profunditates aquis? incendia igni? Obruite elementa

ta

ta hunc nephandissimum hominem, hunc hunc concurrantes certatim perdite creaturæ omnes. Hem benignus est Dominus, qui non patitur sæuire vos in sęuientem seruum: verùm hunc ipsum humaniter corripit, petitq; vt in quo erratum sit dicat, vel admissi pœniteat flagitij. qui enim verbo nos docuit, vt percutienti alteram præberemus genam, ipse id ipsum in semetipso firmauit exemplo. O miram patientiam, ò ineffabilem humilitatem, ò inexhaustam charitatem. Quid superbis? quid irasceris? quid maledicis? quid vlcisceris etiam minimas iniurias ò homo, si Deus tuus, cum posset mille millibus Angelorum vlcisci, pati maluit, quàm propulsare iniuriam? Ducitur, traducitur, reducitur, trahitur, impellitur, percutitur, illuditur Dominus meus à militibus, à turbis, à iudicibus, & quem tangere dudum omnes expetebant, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes: nunc veluti exitiale virus refugiunt, & detestantur cuncti. Sed ò scelestissime Caipha quid tu vestimenta scindis? quid Dominum tuum proscindis? Abscinde à corde concinnatos dolos, ab anima tua flagitia. Iam asinam quoque aliàs æmulatum te fuisse memini, cùm, quæ minimè intelligeres, prophetasti. neque enim sciens pronunciabas futura, sed Pontificatus tui dignitas fœtidi oris vsa est ministerio, cùm vel nolens, vera prædiceres; &, qui communem tunc aliorum salutem præcineres, tuam ipsius damnationem pronunciasse non agnouisti. Sed scindis tu sacerdotalem vestem: Herodes verò CHRISTVM sacerdotali induit veste. Ipse quoque Herodes, qui vocem, hoc est Ioannem Baptistam peremerat, verbum, hoc est CHRISTVM IESVM audire non meretur. & signa quærens, & non videns ab eo fieri (qui tamen non alia ratione accusabatur, quam quòd signa, & miracula patrauisset multa) cum exercitu illum spernit suo, & ad Pilatum remittit veste indutum alba, qua dementiam hominis significare credens, vitæ innocentiam, castitatis albedinem, candorem animi, mentis puritatem, & diuinitatis indicat serenitatem. quinetiam fatetur eo vestimenti genere se innocentem infantem olim fuisse persecutum. quemadmodum & Pilatus purpurea illum induens veste, derisionis gratia, exautoratum se, ipsiusque Domini dignitatem suæ dignitati anteferendam, vel nolens, confessus est. Hinc turpis illa reconciliationis occasio, hinc Principum scelestissimorum in necem Domini conspiratio: Sed meritò Dñs alba indutus veste recedit. quia cùm patris sit sapientia, in qua creata sunt omnia, vestem candidam induit, vt stultam faceret sapientiam huius mundi, vtque sapientiam suam diuinitus infusam tegeret, ne ab improbis agnosceretur in mundi huius prudentia, & sublimitate, sed in humilitate magis, & in simplicitate à probis, & electis: Et iure quidem nuptialem induit vestem ad patrem iturus ad cœleste conuiuium. Iam Pilatus interrogat stantem, & modo respondentis, modo tacentis miratur prudentiam, & constantiam; tametsi dimittendi, damnandique totam sibi arrogat potestatem; quam tamen à superis intelligit defluxisse sedibus; vnde coniugis visa somniorum, & monita voluens animo, soluere vinctum, & dimittere cogitauit innocentem. Interea gallus gallinaceus post alarum

plausum cantu Petrum admonet, vt negationis pœniteat, eúmque intultus Dominus solo obtutu tacitus ad animum reuocat. Is verò è Prætorio egressus, deflet amarè. O Petre, vbi est illa efferuescentis animi magnitudo? vbi est illa mortis contemptio? vbi illa feriendi insultantes alacritas? siccine Dominum deseris? vilisque ancillulæ metu magistrum negas nosce tuum? Bene tecum actum est, quem respiciens Dominus, in proprij erroris agnitionem induxit, quemque nisi pius inspexisset oculus, par forsitan cum Iuda sors manebat. Sed quia nimium de te ipso præsumpseras, iactando te paratum esse in carcerem, & in mortem ire, ideo vt labereris permisit Dominus, sicque cognosceres non esse superbiendum, sed humiliter agendum. Cuncta enim Domino præsente audes: sed eo absente, confestim cadis. Vtiliter tamen id factum est, vt per humiliationem disceres iustificationem Dei, compatererisque labentibus, nec septies tantum dimitteres, sed & septuagiessepties. Sed ò beatum hominem, qui admissam culpam lacrymis abluere potuisti. Ipse enim diuinus oculorum radius vt primum cordis nubila penetrauit, tantum exciuit lacrymarum profluuium, quantum expiandæ culpæ satis fuit. Vix dum enim gallus canendi finem fecerat, cùm ipse ab vrbe excedens, in obscurum te condis antrum, vbi orando, lugendo, pernoctando, esuriendo, sitiendo, teque ipsum macerando, delituisti, quamdiu admissi criminis te veniam promeruisse intellexisti. Hic te IESVM meum rogatum, exoratumque velim, vt quemadmodum Petrum, qui te negauerat, in passione non deseruisti; verum respexisti, iuuisti, & confirmasti, ita in animam meam, quæ toties factis, & peccatis multis maiestatem offendit tuam, misericordiæ tuæ oculorum aciem intendas, vt quantum expedit edocta, fletu, ac prece pietatis, iustificationisque tuæ dona consecutam se fuisse cognoscat. Vtinam pius me tuus respiciat oculus, quem procax ancilla carnis meæ, non semel, sed sæpius in negationem attraxit. Age verò tu, mi Domine, qui à discipulis derelictus, solus remanseras, iussu Præsidis, marmoreæ religatus columnæ, flagris indesinenter cederis. Ah crudeles ministri iudicis atrocissimi, me me cædite, qui peccaui, non hunc, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Quid emendandum? quid corrigendum in eo offendistis? quia se filium Dei esse non negauit? si negasset, similis vobis fuisset mendax. Non ne etiam ipse regius Propheta ait, Dij estis, & filij excelsi omnes? & scriptura alibi. Et ingressi filij Dei ad filias hominum. Quæ itaque est hæc blasphemia? Desinite iam sæuire in innocentem hominem. Satis enim sua laborat inopia; ne addatis afflictionem afflicto. Et si vos fera impellit natura, si immitis animus, si mores barbari, si inimica concitat rabies, satis iam satis vestrum euomuistis virus; hucusque in vos Dei vltionem prouocasse sufficiat. Definite, desinite quæso frangere delicata membra, tenerum lacerare corpus, innocentes dilaniare carnes. Emendari iussit Prætor, non enecari; cædi, & non occidi. O crudeles, ò impij, ò inexorabiles. Quæ vos cautes genuere? quæ leænæ lactauerunt? qui Scythæ nutriuerunt? Adhuc finem non facitis? Manus fessæ, voluntas

tas adhuc indefessa? videor videre vos in hoc solum incumbentes, vt nullum crudelitatis genus vlterius iudices, ac pontifices desiderare queant. O bone IESV, ò pientissime IESV, tanquàm agnus coram tondente te obmutescis, & non aperis os tuum. Agnus verè sine macula olim: nunc autem quasi leprosus, & percussus à Deo. Qui speciosus eras forma præ filijs hominum, nunc tibi nulla est species, neque decor. quamquàm de specie tua aliter quidam sentiant, dicens. Non quia forma eius decore lactei coloris eluxit, aut flauo crine coruscauit, aut insigni statura præeminuit: sed veraciter humano genere pulchrior fuit, quia peccati labe nulla infectus fuit; quamuis pater Augustinus speciem decoris eius fuisse dicat laudabilem. hæc ille, nunc ego cum Propheta dicam: à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in te sanitas. verè vir dolorum, & sciens infirmitatem; qui dolores nostros tollis, & portas langores nostros, vt nos læti, & sani ad te veniamus. Tu pharmaca sumis; & nos ægritudine liberamur. Tu amarum ebibis poculum: nos dulci inebriamur vino. O vtinam flagella hęc tua, salutem afferant animæ meæ. O vtinam calix hic tuus amarissimus, dulcissimam mihi propinet veniam. Seruat in hanc vsque diem columna cruoris vestigia, magis quidem pia, quàm ministri, quorum animos nec oris elegantia, nec verborum suauitas, nec teneræ carnis dilaniatio, nec demum cunctarum coaceruatio miseriarum flectere potuerunt. Verum quemadmodum illi feris omnibus crudeliores extitere, sic tu mi Domine columna constantior fuisti; defeceruntque illi prius verberando carnifices, quàm tu patiendo deficeres. In ipsa colligatione ad columnam funes à carnibus opertas ferunt; vsque adeo strictè ligatus est. quinetiam ab vnguibus erupisse sanguinem doctores primi nominis testati sunt. Sed ligata quidem caro, non spiritus; humanitas, non diuinitas. Hoc amplius perhibet diuus Bonauentura magnæ authoritatis, & sanctitatis vir, plusquam quinque millia vulnerum ad columnam Dominum accepisse; ita quidem, vt sicuti nunquàm ego peccando satur euasi, ita Dominus meus flagellis non est saturatus vnquam. Alij asseuerant nihil sanum, nihil integrum in illius mansisse corpore; & tamen integrum, & indistractum in eo perseuerasse maiora patiendi affectum. Etenim tortorum flagella totum illius sacratissimum corpus dilacerauerant: verum amor cor eius in patientia seruabat illæsum. Vbertim sanguis eius ad peccatores defluebat, spiritus verò ad patrem erigebatur in cœlum. Peccatorum ictibus sacrum subiacebat corpus, preces verò cordis per ministros Angelos ad patrem in cœlestia ferebantur. Vulneratus est Dei filius in corpore suo, vt salutem homines in animabus recuperarent. Sanguinem emisit ex omnibus membris, vt eundem ipsum ceu pretiosissimum balsamum in nostra effunderet vulnera. Diruptum vas est, & misericordiæ oleum diffusum est in vniuersam terram. Corporis sui tunicam roseo tingi colore voluit, vt nos ceu sponsus singulari decore conspicuus ad suum prouocaret amorem. A proprio derelictus est in passione parente, vt nos ab eo reciperemur in gratiam. quid plura? nihil in omni eius corporis

parte

parte integrum manere voluit, vt nihil cæsum, nihil fœdum, nihil non integrum in nostris animabus offendi posset. Nunc hora est, vt solutus columna, illudaris à militibus sedens, mi Domine. Indutum purpura, coronatum spinis, contusum arundinibus salutant vt Regem. flectunt genua: derident: ludibrio habent. Purpurea vestis est hæc, quam primus homo de terra rubea formatus induerat. nouam quidem, & immaculatam à Deo contextam: sed ab ipso detritam, fœdatamque. Vestem quidem rubeam, idest carnem nostram induit CHRISTVS, sed puram tamen, & sine macula, quam concerpendam, lacerandamque Iudæis tradidit, vt nos veteri exuta, nouam indueremus innocentiæ vestem, ambularemusq; in nouitate spiritus, & immaculati essemus in seruitio Dei. Verè deserta erat vinea Domini, omnino sterilis, non nisi labruscis referta, quam Deus plantauerat, Prophetæ coluerant; illa verò fructum non reddidit vllum nisi spinas acerrimas, quibus Dominum coronaret suum. Tu, qui filijs hominum speciosior eras, nunc purulentis sputis os tuum occupantibus, sanguine rorantibus crinibus, & colaphis contusa cute, nihil præterquam fœditatem, liuorem, maciem, & squalorem ostentas. Non est, qui te agnoscat; non est, qui tui misereatur quisquam. Sed conspui voluisti, vt nos lauares; velari, vt velamen culpæ, & ignorantiæ à cordibus nostris auferres: in capite percuti, vt caput nostrum, idest Adam sanitati restitueres: colaphis cædi, & verbis derideri, vt nos tibi labijs, & manibus, hoc est verbis, & operibus applauderemus. Ego verò, qui probra mea super te cecidisse video, & peccasse doleo, & peccati me pœnitet mei. Respice, & amputa opprobrium meum. Si te inspexerit pater, mei miserebitur certè, quia mei causa tu passus es. En radiantes velant oculos, qui corda intuentur hominum: qui scrutantur renes: quibus nuda, & aperta sunt omnia. Falluntur verò scurræ, insignesque carnifices, qui cuncta peruidentis visum velo se putant impedire posse, ne eorum cernantur scelera. tollant ab oculis suis obscurius ignorantiæ suæ velum, & tunc agnoscent, non esse velo tegendam Dominicam faciem. Ego vero velari se passum crediderim, vt indicaret mihi conniuere paratum se esse, si me flagitiorum meorum pœniteat. Sed tamen ludunt, colludunt, modo hic, modo ille alapas incutiunt, donec obturgescat, extuberetque totum continuis ictibus lancinatum caput. Hinc diuinari alter postulat, quis percusserit. illinc deridet alter tacentem, & patientem. Conscindunt sibilis, iocantur, cachinantur, dicterijs, & cauillis illudunt. O summam Dei patientiam, ò iniquorum æternis ignibus retundendam petulantiam. Quis edocuit mimus? quis ludio instruxit? quis dæmon impulit? Verè tota CHRISTI vita in terris per hominem, quem gessit, disciplina morum fuit. Omnia quippe mundi bona contempsit, quæ contemnenda docuit: & omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit; vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. Educite iam delusum, derisum, & discerptum satis. Euocat Præses: morantes compellat: Fremit populus, & tarditatem incusat vestram. En venit IESVS, sistitur contusus, pertususque totus: nigricant genæ: rigent

oculi: turgent labia: tumescunt nares: frons squalet rugis exarata, totaque spinis persorata commadet: non est in summa, miserum qui fateatur nouisse hominem. Tunc Pilatus. Ecce (inquit) homo, quod videt, videntibus inspectandum ostendit; non enim diuinitatis capaces fuere aut is, aut illi; ideo non dicit ecce Deus, sed ecce homo; & tamen vel nolens Deum significauit. quasi diceret, si hic non esset homo, non saluaretur homo: si Deus non induisset hominem, homo non assequeretur Deum. quasi etiam diceret mundo, vt agnosceret ex tormentis hominem, quem ex operibus, ac miraculis Deum probari conspexerat. Nullum enim vnquàm maioribus excruciatum fuisse pœnis cognouimus; ideoq́ue fieri non posse, vt homo non sit, qui tot cruciamentis subderetur; hinc inferens, tempus iam esse vt quiesceret sanguinaria Iudæorum sitis, desinerentq́ue persequi hominem innocentem, quem dirè, & præter conscientiam cæsum, castigatumq́ue conspiciebant. Nullus enim inuentus est vnquam ex hominibus omnium, quos terra sustinet, sceleratissimis, qui tam indignis habitus fuerit modis, vt hic iustus homo tractatus est. Si odistis, quòd Regem se esse dixerat parcite, cum iam omnium miserrimum hunc esse videatis. Si peccasse is cuipiam videri posset, ecce homo, caro, sanguis, & cognatus vester. Hoc planè verbo & eius significatur humanitas, & nostra excitatur miseratio. Porrò horum Pilati verborum sensus multiplex esse potest, veluti si ab ore Dei procedere opineris. quia aliud nihil ex ijs dici potest, nisi vt animam hoc pacto alloquatur: En summi amoris in te mei testimonium, cum vnigenitum meum totum tibi, & pro te tradiderim. Non enim tanti illum feci, quin tuam salutem eius vitæ anteponerem; quinetiam, si quid altius, aut pretiosius mente concipere potuissem, idipsum quoque donare tibi non dubitassem. iccirco quemadmodum me totum, & indiuisum tradidi tibi, ita & tu te totum redde mihi. Nosce tu te ipsum, hominem scilicet, & peccatorem, dicasq́ue mihi: Ecce homo, quasi dixeris; homo sum, fragilis, miser, ineptus, conceptus in peccatis, natus in miserijs, enutritus in vitijs; ideo non intres mecum in iudicium. quia si iniquitates obseruaueris, nullus profectò sustinebit. Noli indignari aduersus folium, quod vento rapitur. nunquid absumere me vis peccatis meis? ne, quæso, auxilium gratiæ tuæ à me subtrahas, sed ignosce mihi. quia victus iam sum, meq́ue totum tibi dedo. Quòd si ad filium ea verba, referre volueris, tunc dicere eum arbitreris. Viden quid fecerim tibi? creaui te ad imaginem, & similitudinem meam, totam pulchram, totamq́ue formosam, & licet, omni ablegata ratione, à creatore ad creaturas te auerteris, ego nihilominus te ipsum amare non desij; verùm in amorem vsque adeo exarsi tuum, vt naturam ipse ego tuam assumere non dubitauerim; vnde factus sum caro, & sanguis tuus, vt te redimerem, fieresq́ue mecum vnus, atque idem spiritus diuinitatem spirans. Ego, qui ante secula fruebar delitijs diuinitatis meæ cum ipso parente meo, & cum sancto Spiritu, nulla re indigens, mortalitatem tuam assumere non sum veritus. triginta tres, & eò amplius annos in terris vnà tecum conuersatus sum, & ceu seruus

tuus in multa paupertate, humilitate, labore & afflictione operatus sum salutem tuam; nec veluti exul modo à regno meo, verùm & quasi hostis patris mei, ab eoque crudeli castigatione correctus, conceptæ iustissimè in te iræ in me ipsum causam sumere non abhorrui, vt tu gratiam, & misericordiam consequereris. hoc amplius, infamem pro te mortem, post summos exhaustos labores, subire non recusaui; immo verò in Cruce sanguinem totum in tui redemptionem profudi. Aspice vestem meam detritam, & sordidam, spinosum diadema, arundineum sceptrum, cruenta vulnera: discerpta membra: corpus totum squalore, sanguinis distillatione, & frigoris vi concretum, & horridum. Si de facie volueris, non vtique me poteris agnoscere, quia tumida est tota, vnguium aduncitate discerpta, phlegmatibus fœda, sanguine, cerebroque simul mistis sordidata. Quid amplius facere potui, ac feci? Hinc disce, num te amauerim, qui tui causa me ipsum contempsi, & odio habui. quæ tu naturæ sequendo oblectamenta malè meritus es, ego tanta pœnarum acerbitate, & amaritudine dilui, pretiosoque te laui sanguine ab omni macula vitiorum, vt nitidus, & emundatus gratus fieres, & acceptus mihi. itaque ecce homo, hôc est, memor sis amoris, passionisque meæ, vt discas deinceps deuitare peccata: maiestatem non lædere meam: & tanta, quæ in te contuli dona, non contemnere. Non est dolor, sicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior: vide pœnas, quibus afficior: vide clauos, quibus confodior: cum sit dolor tantus exterior: interior est planctus grauior, cùm te tam ingratum experior. Ad hæc & ego, ò mi dulcissime IESV, eisdem verbis respondebo. Ecce homo, non enim spiritus sum, sed caro: non Angelus, sed homo. ideo fragilis, ideo peccator. Si peccauerunt Angeli, quid mirum, si & ego immundus sim, in delectatione conceptus, natus in peccatis, & enutritus in vitijs? Noli Domine irasci contra seruum tuum, & ne perdas opus manuum tuarum. Quid sum ego, vt in me irascatur furor tuus? vita mea instar habet fumi, venti, vaporisque euestigio transeuntis. Quare ostendis potentiam tuam aduersus folium, quod vento disperditur, ac dissipatur? si mane me quæsieris, non inuenies, quia bulla sum, & non homo, cinis, vermis, fecis saccus, putredo, & ipso fœtidior stercore. Purum quidem, nitidumque formasti me, vt seruirem, laudes dicerem, & benedicerem tibi. Sed, heu me miserum, quia peccaui tibi, totus inutilis, totus corruptus, & abominabilis factus sum in peccatis meis: tu verò non adeo attendas malum meum, ut obliuiscaris bonum tuum; & si commisi ego, unde me damnare potes: non amisisti tu, unde saluare soles. Scio enim, quòd non uis mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur, & uiuat. Longa ego peccandi consuetudine gratiæ incapacem me ipsum reddidi: uerùm quia potens es ex lapide suscitare filium Abrahæ, ideo digneris, quod mea destruxit malitia, tua reformare pietate. Iam uerò plebs clamat magnis uocibus, tolli, & crucifigi Dominum. qui Scythæ? qui Garamantes? qui feri? qui barbari? qui immites? qui inhumani lacrymas continerent? qui tantis non commouerentur malis? qui omnium miserrimo non compaterentur? & tamen,

 men,

men, quæ Deum dudum credidit plebs clamans, benedicensque ei, qui venerat in nomine Domini: nunc eadem inconstans, & à pontificibus concitata, tolli, crucifigique eundem clamitat, quem hominem Pilatus esse asserit. O leuis, ò infida, ò volubilis vulgi inconstantia. ite nunc mortales, vestrasque cogitationes plebis mobilitati committite, spes vestras in multitudinis gratia sistite. Dimitti grassatorem sibi, insignemq; furem Barabam, qui propter seditionem ab eo in vrbe concitatam carceribus mancipatus fuerat; crucifigi autem innocentem magnis contendit vocibus. Sic dimitti petit latronem, crucifigi Saluatorem; non vult Saluatorem, sed interfectorem, non datorem vitæ, sed ademptorem. His verò permotus Præses, cor polluit, & manus lauat: innocentiam profitetur, & iniquitatem pronunciat. Non enim quod sentit, profert, sed quam dictat vox populi, sententiam promulgat. O perfidum, & profligatum iudicem. plebem magis, quàm conscientiam sequeris? Cæsaris, quàm Dei magis vltionem times? Hem iustum dicis, at damnas tamen. quæ lex? qui mos? quæ ratio, vt sic iudicares, impulit? Sed pœnas quam ocyssimè dabis; & cuius innocentiam nihilipendisti, iustitiam mox experieris. carnes enim tuas non modo scaturientes edent vermes, sed ipse mordicus tua discerpes membra. Vos, qui sententiam sic ferri postulastis, & sanguinem innocentem super vos, & filios vestros imprecati estis, vitam filij Dei triginta nummis estis commercati, paulo post gregatim plures vno nummo venum ibitis, captiui abripiemini, & brutorum animalium more, Deo ita volente, ferienti iugulos præbebitis. Euertetur ciuitas vestra: seruient filij: cessabunt sacrificia: in dispersionem gentium ibitis: sine lege eritis: absque prophetis, & sine sacerdotibus: ludibrioq; eritis cunctis hominibus. O miseri, ò infelices, qui CHRISTVM, qui vos vngeret, reiecistis, & Cæsarem, qui vos cæderet, sequi maluistis. Iam magni ponderis pedum quindecim parata crux est: iam sacris imponitur humeris, ijs (inquam) humeris, qui nihil, præter sarcinas nostras, deferre consueuerunt. non erat quippe lucerna ponenda sub modio, sed super candelabrum. nil ergo mirum si candelabrum sibi defert. Incessus grauis est, & lentus, siquidem dorso iniecta crux corpus fatigat nimia grauitate: stringunt funes collum, & manus: veprium punctione, & flagellis hausto sanguine, iam flaccescunt vires: prospectum impedit in oculos fluens cruor, ita vt vix vbi pedem ponat, intueri homo hic noster possit. Ille patiens, nec gemens quidem animum addit sibi, dorsum incuruat, inde quantum potest, attollit se, vt alacriter pondus deferat, quod nec ipsis latronibus contigit, quasi is illis scelerum atrocitate superaret. Sed heu misera succubuisset humanitas, cùm ad vrbis portam alterum flectere genu coactus est, nisi alterum diuinitatis genu cadentem erexisset Dominum. Importabile quippe humanitati fuisset nostrarum iniquitatum pondus, si modo vis ipsa diuina non affuisset. Hinc licet ediscere, non pati Deum nos tentari supra id, quod possumus, sed adesse eum semper, & nobis præsto esse, vt cadentes sustineat, & iacentes erigat. Hoc etiam loco notanda sunt Euangelistæ verba, dum ait: Et baiulans sibi crucem,

quasi dixerit, baiulum se vocari non dedignatum Dominum, quòd nostras deferret sarcinas; vnde Augustinus dicit: crucem, vt in ea gloriemur, Dominus suo gestans humero pro virga regni nobis commendauit, quod est grande ludibrium impijs: & vnde mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit: quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia, & gloria. Grande spectaculum, sed si spectat impietas, grande ludibrium, si pietas, grande mysterium. Si spectet impietas, videt Regem pro virga regni, lignum portare sui supplicij: si pietas, videt Regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quòd fixurus erat etiam in frontibus Regum: in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriam repositura corda sanctorum. Iam filius Dei ad mortem ducitur, qui vera est palma victoriæ: spinis coronatus, qui peccatorum spinas venit confringere: ligatus, qui soluit compeditos: moxque ligno suspendetur, qui erigit elisos: aceto potabitur fons vitæ: disciplina cædetur; salus vulnerabitur: vita morietur: occidet ad tempus mors ipsa vitam, vt mors in perpetuum occidatur à vita. En pia, inter tot impios, occurrit mulier, quæ labores, sudoresque miserata, sudariolum offert, & proprijs manibus sanguinem, sudoremque tergere volens, ipsam Domini effigiem impressam contrahit. Non frontis serenitatem, non oculorum viuacitatem, non oris venustatem inspectare licet, non rutilas comas ex humeris cadentes, non bifurcatam barbam, nucis auellanæ præmaturæ colorem æmulantem fas est intueri: sed horridam tantum faciem, squalentem barbam, & concretos sanguine crines cernere datum est, vt quos pro nobis pertulit labores, quas iniurias perpessus est, hinc discere possimus. Non hæc enim effigies illa est, quam pater impressit, sed illa, quam deformarunt peccata nostra. O nos miseros, quibus non nisi turpitudines nostras iræ Dei prouocatrices aspicere permissum est: & ò beatos, vim pro nobis interpellent apud Deum patrem, quas pro nobis sustinuit filius passiones: neque nobis exprobrentur iniuriæ, quas nos intulimus ingratissimi serui. Interea dum agitatur, & vexatur Dominus meus, res vniuersa ad matris aures apportata est. non vestem componit: non comam ornat: non faciem lauat. accurrit, & filio occurrit in biuio, filio (inquam) qui deiecto vultu, oculisq; solo defixis, tanquam magni flagitij reus procedebat. Hunc intuetur, hunc demiratur, & in huius solius contemplatione, & oculos, & animum intendit. Qualis autem primo obtutu fuerit vtriusque dolor, nemo sanè exequi istud verbis possit; cùm eam mutui amoris, quo sese inuicem diligebant, abundantiam nemo hominum vnquam expertus fuerit. Licet enim in Apostolis fides titubauerit, & refrixerit charitas, spes vacillarit, & timor oues disperserit; in MARIA tamen viuidæ, constantes, integræque mansere virtutes omnes: ita vt nec dubitare quidem potuerit, quin IESVS Dei filius esset; vtpotè quem nullo viri contactu ex sancto se spiritu nouerat concepisse. Videres gementem, attollentem manus, cœlum suspicientem, atque imo ex pectore suspiria ingeminantem. non quidem casum dolentem, cùm Dei voluntatem iam perspe-

ctam

ctam haberet, & redemptionem fieri humani generis non ignoraret, cuius rei causa, non filium modo corporaliter, sed spiritualiter se simul crucifigi forti animo consentiebat. verum se ab eo seiungi, ab eius dulcissimo conspectu separari, & à gratissima consuetudine distrahi, vix pati poterat. tantus erat maternus affectus, tanta ex amabilis filij fruitione delectatio emanabat. cùm enim esset is elegantissimus forma præ filijs hominum, haberetque verba vitæ, qui & illam præ cunctis elegerat fœminis, amauerat, extulerat, & beatam effecerat, non poterat non illum amare vt filium, venerari vt dominum, adorare vt Deum suum. Nulla sanè vnquam genitrix tanto filium suum amore complexa est, quanto beata virgo filium suum; sicuti nec vlla vnquam absentiam filij vt ipsa molestius tulit. verum enim verò Dei voluntati non esse resistendum sciebat; tantumque abest, vt filij morti obsistere, quando etiam potuisset, vellet, vt illi commori, cumque eo crucifigi magis optauerit. Quare, sicut filius in corpore, ita in corde promeruit pati mater; quæ iccirco martyrum antesignana non immeritò appellatur, quòd in morte filij peracutus gladius illius animam transuerberauit. Dicebat illa in corde suo: Fili mi IESV, IESV fili mi, quis mihi tribuat, vt ego pro te moriar, IESV fili mi, fili mi IESV? O me nunc verè viduam, ò me derelictam, quæ diu nimis charissimo filio sum caritura. quis miseram deinceps, afflictamque solabitur matrem? quis opem feret laboranti? quis præmet oculos morientis? quis fert naturæ ordo, vt matri filius præmoriatur, mater verò superstes doloribus reseruetur, & cruciatibus? Si tuis parcere genis, capiti, manibus, ac pedibus, cunctisque denique membris, ac ipsi demum vitæ noluisti; hem miseræ saltem matris doloribus occurrere potuisses, vt scilicet morte prærepta tam atram non videret diem: tam horrendo non interesset spectaculo: funestas adeo non celebraret nuptias. Sed, heu me miseram, mori te oportere præsenseram quidem: paratum tibi à patre tuo patibulum crucis cognoueram: hostium rabiem, quam tu prænunciaueras, non ignorabam; verum quòd tantis ego superessem calamitatibus, nec tu, pijssime fili, prædixisti: nec ego infelix mater, vt debui, consideraui. O si, quæ ego nunc patior, attentius olim considerassem, aut inter amplexus tuos defecissem: aut vltimum tibi saltem vale dixissem: aut denique vna tecum in carcerem, & in mortem iuissem. Quoniam verò hæc tua, hæc parentis tui voluntas est, vt vnus tu homo pro cunctis hominibus moriaris, fiat voluntas vtriusque. Perge tu fili mi benedicte, iamque inchoatum opus absolue redemptionis humanæ. Sequar te fili mi semper, quocunque ieris; & quamquam corpora seiungentur, spiritus tamen nulla vnquam temporis, locorum, vitæ, vel mortis intercapedine separabitur. O mi IESV, vita mea, animæ dimidium meæ, dulcedo, spes, & consolatio mea, memento genitricis tuæ: memento promissionum mihi in Angelica salutatione factarum; dum me benedictam, & super omnes mulieres beatam fore, mihi nunciatum extitit. En omnium miserrima mihi esse videor. gemit anima: fremit spiritus: quatiuntur membra: nec satis consilij inter tot angustias depre-

hensa capere possum misera. His, & similibus quæstibus se ipsam infelix excruciabat mater. sequebantur mulieres & piæ, & sanctæ, quæ tùm matri condolentes, tùm filio innocentissimo compatientes, & lacrymis, & eiulatibus cordis dolorem significabant, cùm suppetias ferre laborantibus, & afflictis nullo modo possent. O filiæ Hierusalem (inquit ipse) ne plorate calamitatem filij Dei hominis, sed vestram, filiorumq; vestrorum cladem pertimescite. quia venient dies mali, diesq; afflictionis vestræ, in quibus dicent: Beatæ steriles, quæ non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. His dictis, pergit IESVS meus suam portare crucem, donec ad Caluariæ locum appulsus, spoliari se sinit, & enudari, diuidi vestes, sed non eam tamen inconsutilem, quæ ecclesiæ vnitatem præfigurat. nam eam quidem vocari ad sortem, diuidi autem minimè passus est. quatuor partes factæ, toto orbe, quatuor partibus constante, diffusam ecclesiam significant. Partium verò æqualitas, ecclesiæ concordiam ostendit. At sortitio illa, partium omnium denotat vnitatem, quæ charitatis vinculo continentur. Deinde positis genibus, patri gratias agit, quòd illum ad destinatum iam locum perduxisset, in quo charitatis excessum completurus erat: Videres ex nuditate virgineum pudorem surgere, nec tanti eum facere exulceratas, recrudescentesque plagas in ipsa expoliatione vestium vulneribus inhærentium, & sanguine concretarũ, quanti nuditatem ipsam fecit. Siquidem non secus, ac à materno processerat vtero, sublatis vestimentis omnibus, nudus omnino remansit; quod nec sine ratione contigit. Enimuerò vt victus est Adam nudus, (scimus enim post peccata vestes anxie quæsiuisse:) ita CHRISTVM vincere decuit omni tegumento prorsus exutum. & sicut nudus in mundum venerat CHRISTVS, sic nudus inde exiret, vtpotè qui nihil cum eo commune haberet. Post hæc memoriæ proditum est, auulsam à capite spineam coronam, quòd vestibus exuendis impedimento esset, postea rursum capiti eius affixam. Considera quis fuerit hic dolor, quod tormentum. O mons sacer, infamis olim, nunc verò quocunque celebri monte nobilior, in quo sacrificium Dominus meus exhibiturus est. Etenim homines alibi Deo; hic verò filius ipse Dei offertur, vt placetur Deus pro illa, quam Deo mundus iniuriam intulit; sicque idem ipse Deus homo est sacerdos, victima, & placatus. O miram charitatem, ò incomprehensibilem Dei benignitatem. Fer Isaac ignem, ac ligna: gladium ferat pater; non tamen immolaberis, sed aries vices tuas subibit. At CHRISTVS ipse meus baiulans sibi crucem, & charitate ardens, paternæ iræ periculum faciet, ac veluti mitissimus agnus, iugulum præbebit, occidiq; se patietur; vt pater viuum dilectissimi filij sui sanguinem intuens, irasci desinat: & animarum nostrarum misereri incipiat. Iamq; Dominus IESVS sanctissima distentat brachia, confugientes ad eum omnes complexurus: manus aperit, vt omne animal impleat benedictione. Sæuissimi carnifices paratos, peracutosque binos depromunt clauos, sacratasque manus cœli, & orbis fabricatrices, cruci suffigunt. Contrahuntur nerui: compatiuntur membra omnia: commouentur viscera. pedes

verò confestim in vnum contractos, altero alteri superimposito, ad cœli angustam viam significandum, & ad ostendendũ iustitiæ misericordiam prælatam, ijdem carnifices, trabali traijciunt clauo. Stillat vndique sanguis, quinetiam fluit; Dominusque meus pretiosissimo cruore suo adiacentem irrorat humum. nec mirum, quia cum primus homo è rubra terra formatus, illam conspurcasset eandem nouo colore à secundo homine CHRISTO pretiosissimo eius sanguine inducto tingi decuit. Crux ipsa erigitur, & defigitur in suffossa terra. Eleuato vexillo pugnandum est. Eia agite Christiani viri, antesignanus est CHRISTVS. Quid formidatis? non est nobis colluctatio tantum aduersus carnem, sed & aduersus principem tenebrarum harum. Confidite (inquit ipse) quia ego vici mundum. Ecce vobiscum sum vsque ad consumationem seculi. & alibi: Cùm eleuatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. O dulcis magnes meus, ferreum, quæso, ad te cor meum attrahas. Iam verò si occisum Deum nostrum dicimus, vlciscamur in nos ipsos necem eius, cilitijs, flagellis, macerationibus, mortificationibus. Atqui Augustinus: Hodie (inquit) crux fixa est, & seculum sanctificatum est. Hodie crux fixa, & demones dispersi sunt. Hodie crux fixa est, & mors subuersa est. Hodie diabolus vinctus est, & homo solutus est, & Deus glorificatus est. Lumen, quod sub modio humanitatis latuerat, nunc super candelabrum positum, lucet omnibus, qui in mundo sunt. Subleuatur, vt à cunctis videri queat: brachia extendit, vt nos complectatur: durissimis affigitur clauis, vt nos ad pœnitentiam expectet: sanguinem emittit vndique, vt potu nos reficiat, nobisque medicinam præbeat: cor aperit, vt iter pateat: voce clamat magna, ut audiant omnes. flet acerbè, ut nos inuitet ad compassionem: demittit caput, ut offerat pacis osculum. Assistit mater pijssima, & cum ipso filio crucifigitur, orare non desinens, ne tam dirè, ac sæuè filius crucietur, neve tam rigidè torqueatur. Itaque altare erectum est: impositus agnus: exemptus sanguis: ardet ignis charitatis: iustitiæ diuinæ satisfactum est: placatus pater: Deo humanum genus iam reductum in gratiam. Reliquum est, ut tostas sacratas carnes spiritus edat, & pretiosum ebibat sanguinem famelica, sitibundaque anima mea, ut bonis omnibus repleatur, & satietur, ijs nempe, quæ in Deo sunt condita. Rursus arbor, quæ aruerat, uiret, altas radices agit, florem, fructumque simul suauissimum profert mundo; non ut olim, quia ligni fructus mortem attulit mundo, sed nunc fruticis huius fructus nobis instaurat uitam. Porrò hæc scala Iacob est, per quam non Angeli, sed Angelorum Deus, & cum eo, qui illum sequuntur, ascendunt, & in sinu suo excipiuntur à patre Deo. Hoc speculum uirtutum omnium cunctis proponitur gentibus. Hic figuræ cessant, & ænigmata: Deus de facie cernitur, & in unico eius filio manifestatur: hic cœli pulchritudo deformatur: cœli altitudo humiliatur: clarum puritatis speculum detegitur. Piscina Hierosolymis semel mota unum duntaxat sanabat; at hoc lauacrum omnes, quotquot descendunt, mouente magni consilij Angelo, indifferenter sanat. Crux CHRISTI, teste Augustino, in sermone de parasceue, nobis

nobis totius causa beatitudinis est. Hæc nos à cæcitate liberauit erroris: hæc à tenebris reddidit luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos Deo coniunxit: longè constitutos proximè præsentauit: hæc peregrinantes ciues ostendit: hæc discordiæ amputatio est: hæc pacis firmamentum: hæc donorum omnium abundans largitio. Idemque Augustinus alibi super Ioannem ait: Crucis signum à nobis expellit exterminatorem, si tamen cor nostrum CHRISTVM habeat inhabitatorem. Gregorij verò in homelijs verba sunt hæc: Diabolus in virga crucis transglutiens carnem humanitatis, transfixus est hamo diuinitatis. Et quidem crux ipsa verè hamus est, in quo suspensa est esca dominici corporis ad capiendum homines; quod ipse futurum prædixit, dum ad sese Apostolos accersendo, hominum eos piscatores euasuros pollicitus est. Hunc olim hamum reformidabant gentes; nunc autem esca dulcissima allectæ certatim currunt animæ, vt appendantur, & ab ipso piscatore Deo trahantur in cœlum, vbi ad mensam cęlestis conuiuij cum beatis spiritibus festiuissimè discumbant. Vt autem impleretur scriptura, dicens: Et cum iniquis deputatus est, latrones insignes duos hinc, atque hinc carnifices crucifigunt, medium autem IESVM vtpotè, qui mediator est Dei, & hominum, quique in ipso diuino consistorio medium tenet locum. quamuis alia Iudęorum impietatis ratio fuerit, nempe vt latronum Princeps haberetur, & qui vitæ fuerat innocuæ, similis illis in moribus ex similitudine supplicij crederetur; atque sic alienam infamiam ad iustissimum omnium transferre, quantum in eis fuit, non erubuerunt; quam quidem infamiam mitissimus, humillimusque Dominus haud molestè tulit; immo verò cum sceleratis in terris adnumerari voluit, vt nos in cœlo Angelicis cœtibus misceremur. nec nominis sui curam gessisse visus est, vt nostra in libro vitæ nomina scriberentur. Hoc amplius, cùm viuorum, mortuorumque iudex iam constitutus esset, crucis tribunal iudiciarium conscendit, vt in alterum vitæ, in alterum mortis sententiam promulgaret. futuri etiam iudicij formam ostendens, dum oues à dextris, hædos verò statuit à sinistris. At inter sanguinis effusionem, corporis pondere dolores acuente, sacra, mellitaque depromit verba, flores nempe suauissimos ex lilij caulæ, hoc est sanctæ crucis nascentes. quod Propheta prædixerat his verbis: Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Et primò quidem in cruce pendens, vt scriptum reliquit Ambrosius, testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens, Apostolis persecutionem, iudæis corpus, patri spiritum, virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis verè pœnitentibus crucem commendauit. Spinosumque attollens caput, sanguinolentamque erigens faciem, suspicit, patremque orat, vt inimicis ignoscat: gemensque, & dolens, sollicito pectore suspiria repetens, veniam exorat. O bonitatem, ò charitatem inexplicabilem. ò nulla temporis diuturnitate delendum beneficium. Siluit Deus meus ad Herodis, & Annæ subsellia cùm accusaretur, loquitur tamen in cruce coram patre, quia humani generis se aduocatum profitetur, quasi nullam sui,

magnam

magnam verò noſtri curam gerat. Et hinc mirum, quòd non pro ijs modò orat, qui necem inferunt, ſed pro illis etiam qui Barabam ei prætulerunt. quique in vrbe, publicè, interdiu, in medio latronum, & turpiſſima crucis enecant morte. Et notandum quidem eſt, quòd pro inimicis orans patrem, dicit, de ſe loquens Deus meus, Deus meus; vt ſic intelligamus, eum de ſalute hoſtium maximè ſatagentem, qui mitiore patris appellatione, quàm Dei vocabulo terribiliore aduerſus eos parentis iram lenire tentauerit; nempe in hoſtes eorum ſcelera minimè vindicando, de ſe autem Dei voluntatem fieri exoptando; quaſi diceret, ignoſcendum illis, qui eum occidendo peccauerant, quia moriebatur ipſe, vt eis promerendo vitam donaret. Et quaſi diceret, non eſſe tanquam à Domino iudicandos ſeruos, ſed tanquam filios à parente miſericorditer tractandos. Pater (inquit) ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, veluti ſi diceret, quæ in ligno mors vicit, quæque me ligno affixit, nunc ligno hærens, victa eſt. vnde æquum eſt, vt charitatem meam, & merita, eorum præferas iniquitati. Cùm enim voluntate tua effuſus ſit ſanguis meus, omnis fert ratio, vt tua etiam manu in omnes æquè virtus eiuſdem ſanguinis diffundatur. quoniam cùm abluendis totius mundi culpis ſanguis meus ſufficere poſſit, non ſunt & hi inimici mei tanti pretij virtute fraudandi. quinetiam ſi nulla vnquam maior culpa admiſſa eſt, tu ignoſcendo, & miſerendo clarius ſpecimen inſignis tuæ miſericordiæ præbebis. Quoniam verò ſi ſolus ignouiſſet filius, iuſta potuiſſet ratione pater nonnunquam illatam ipſi filio iniuriam perſequi, iccircò vt ipſe pater dimitteret precatus eſt filius, ne quid vlciſcendum ſupereſſet. Adde quòd patrem orans nimia humilitate ſua, cuncta opera patri accepta retulit. Ignoſce (inquit) abſolutè, nullaque interiecta mora, vt ſic charitatem miraremur, & imitaremur ſuam, vtq; coæqualitatem, paremque in dimittendo ſignificaret poteſtatem. Dehinc cùm in ſe ipſos Iudæi, & in filios ſuos Pilati ſententiam ſuſcepiſſent, mitiſſimus ipſe Dominus tanquam prouocans à ſententia, patrem appellat, libellumque porrigit, quo impetrat eueſtigio, vt dimittat, nec vlciſcatur iniuriam; tametſi nec patratum facinus dolent illi, nec veniam poſtulant, nec crimen agnoſcunt quidem. immo fel parant, acetum, & lanceam; atque ita non dum ad finem perducto ſcelere illis ignoſci poſtulat. Poterat ille quidem certè pro ſe ipſo precari, vt minuerentur dolores: tollerentur hoſtes è medio: ceſſaret infamia: ſepeliretur corpus. ſui tamen penitus oblitus, pro ſolis crucifixoribus poſtulat. Rationemque mox ſubinfert, quia neſciunt quid faciunt. quaſi dicat, patris ira meo placatur ſanguine: Angelorum inſtaurantur ruinæ: ſpoliatur infernus: deletur peccatum: redimitur mundus. quaſi dicat, in meo ſanguine ſynagogæ eccleſia: ego Moyſi: circumciſioni baptiſmus ſuccedet. mannam euchariſtia præuertet: prophetas Apoſtoli: crux æneum anguem: antiquis ſacrificijs noua præſtabunt ſacramenta. Itaque verè neſciunt, quid faciunt. ob id etiam quia Dei filium occidunt, innocentemque damnant virum, nec iuſti ſanguinis immeritò effuſi pœnam timent. Contra verò latro, qui parricidijs aſſueuerat: vitam flagitioſè traduxerat:

duxerat:

duxerat: omnique scelerum genere vitam, & famam conspurcauerat, peccatum tandem proprium agnoscens, tactusque cordis dolore intrinsecus: memento (inquit) mei domine, cùm veneris in regnum tuum. Huic autem ita supplicanti confestim dominus paradisi gloriam pollicetur. Quid? latroni das, quem discipulo adimis paradisum domine? vel si discipulo aufers, quia loculos habens fur est, & latro, cur illum alteri æquè latroni concedis? Si te tribus horis in cruce latro socium habuit; tribus annis in mundo Iudas vt dominum sequutus est. Cainum pater primigenij iure spoliauit, quia iniquus filius; Abel verò, quia iustus, eo ditauit honore. Deijcitur Ismael, quia improbus: erigitur Isaac, quia timens Deum. Iacob vir frugi diligitur: Esau venator odio habetur. Deturbatur à solio Ruben ob scelera eius: euehitur Iudas ob virtutes. Hos verò, nempe latronem, & Iudam proditorem omni scelerum genere vitam consœdasse suam non ambigitur. Cur itaque ad imparia iudicantur? Iam iam, ò bone IESV, tuam intueor iustitiam, qui Iudam proditorem, pertinacemque æternis deuoues ignibus: Latronem verò confessorem, pœnitentemque perennibus addicis gaudijs. Ne tuam quisquam, parentisque optimi calumnietur iustitiam, quia iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. non enim de facie, aut vestibus iudicas hominem, sed corda scrutari , & probas renes. Latronem adducis tecum, quem socium in cruce habuisti, qui te dominum confessus est, & correum reprehendit suum, qui peccatum agnouit, de peccato doluit, tecum obijt, tibique seipsum commendauit; vnde mirum non est, si illi pepercisti, & cœlestem gloriam es elargitus; piè hoc pacto ostendens in domo tua maiori in honore latrones bonos haberi, quàm imperatores malos. Hic enim te publicè dominum appellauit, & confessu est, cùm alij pernegarent irridentes maiestatem tuam. Fugientibus alijs, & carissimis quidem, te solus in crucem secutus est. &, si verum fateri libet, patres omnes, quotquot ante fuerunt, in fidei confessione superauit. Non enim Deum est allocutus vt Abraam: maiestatem non vidit, vt Isaias: rubum incombustum non aspexit, vt Moyses: Seraphinos non est intuitus, vt Ezechiel: ventis, & mari imperari non vidit, vt Petrus: nec suscitari Lazarum quatriduanum, ut Magdalena: non dęmonem eijci, ut Cananęa: minus curari seruum, ut Centurio: non etiam recubuit supra pectus Domini, ut Ioannes in cœna: nec affuit transfigurationi, cum Iacobo in monte Tabor. & tamen mirum, quòd, qui nihil horum uiderat, nihilque præsenserat, credidit illum Deum, & hominem; unde illi se ipsum tanquam Deo commendauit. Magis autem mirum, quòd nec allectus miraculis fuerat, nec ut crederet, crux, & mors suadere poterant. & tamen corde credidit, & ore confessus est. Ligatum uidit, nudum, crucifixum, derelictum, & contumelijs plenum, atque cum iniquis damnatum, dominum tamen appellauit. O insignem, prudentemq; latronem, qui non uiuendo modo, & usque ad mortem furtis operam dedit, sed in ipsa etiam morte furari didicit regnum cœlorum. Adam eiectus, quia furtum fecerat. hic autem furti causa in paradisum introductus est. Exiuit, qui in ligno perdidit

didit vitam: intrauit, qui in ligno vitam redemit. Exulauit, qui non credidit: receptus, qui Deum confessus est. Itaque primus latro è paradiso pulsus: secundus etiam latro immissus. primus ad meridiem damnatus: secundus in meridie saluatus. Fidei vis magna fuit, magna & charitatis, quippe quia funibus religatus, vestibus denudatus, sententia damnatus, bonis omnibus exutus, cùm nihil iam superesset præter linguam, & cor, vtrunque donauit, & ipsi Domino consecrauit. quia corde credidit ad iustitiam, & ore confessus est ad salutem. quinetiam, si quid aliud superfuisset offerendum, nihil vtique sibi retinuisset. Cùm autem cor, & linguam donauit, satis donasse visus est, qui etiam volens, aliud donare non potuisset. Vterque latro in cruce rogauit dominum, sed non æquè suæ vterq; petitionis est consecutus effectum. siquidem malus latro, in fide nutans, & dubitans, ait: si filius Dei es: Bonus autem constanter, & firmiter credens, clamat: Memento mei Domine. Viuere malus in mundo quærit, & non auditur: boni autem deprecatio accepta, quia mori cũ CHRISTO in hoc mundo, & cum eo regnare cupit in cœlo. Errat malus, dum putat vitæ præsentis desiderio teneri dominum, vt ipse tenebatur: moritur bonus, dum regnum eius ab hoc mundo seiunctum fatetur, vnde in illud se introduci postulat; vtpotè qui crederet maiori dominum teneri moriendi desiderio pro nobis, quàm malus ille latro, viuendi; quæ res gemino in cęna cupiditatis verbo expressa est, dum dixit: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. His consequenter dicamus nec latronem, nec pontifices impetrasse, vt de cruce descenderet, quoniam non venit in mundum, vt descenderet, sed vt ascenderet. humiliauit enim semetipsum vsque ad mortem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS in gloria est Dei patris. venitq; ipse in mundum, vt moreretur in cruce, non vt illam euitaret, aut fugeret. nam si is crucem detrectasset, totum crucifigi mundum oportuisset. ideo expediens magis fuit, vt vnus homo moreretur pro populo, quam vt vniuersa gens periret, vt Caiphas in Iudæorum concilio vaticinatus fuerat. Ego verò, mi Domine, non id precabor, vt descendas de cruce, sed vt me tecum crucifigas, & vt me per crucem salues. Non enim amas, quos tibi non compati vides; nec tibi placere quisquam potest, qui crucem fugiat, & dolores repudiet. Sed ad latronem rediens bonum, primùm ipsum prædicandi munus assecutum video. siquidem condemnatum secum latronem increpat, quem moribundum non pœnitet admissorum scelerum. Sua præterea confitetur peccata his verbis: Nos quidem factis digna recipimus. Deum inde laudat, præsentemq; ostendit IESVM, inquiens: hic autem quid? nihil enim mali gessit, nihilq; non optimè fecit. Sic fraternæ correctionis cupidus, socium coarguit, vt ad pœnitentiam reuocet: & vt in peccatorum confessione, & veniæ, ac misericordiæ consecutione sic comes existat, vt in malis patrandis socius fuerat. O fidem, ò charitatem, ò cordis,

& oris confessionem, atque constantiam, ò immensam in CHRISTI passione pietatem. Priore confessionis verbo Deum fatetur, posteriore autē nihil petens, omnia postulat, dum se memoriæ domini commendat. Rectius enim nouit ipse Deus quid nobis conducat, quàm nos ipsi. quasi dicat, tu, qui me creasti, memento facturæ tuæ: tu, qui me redemisti, memento pretiosissimi sanguinis tui, ne gratis effusus sit. ideo memento mei, pro quo illum fudisti, pro quo hominem induisti, pro quo morti te ipsum tradidisti, & pro quo animam posuisti. Non filios, non vxorem, non fortunas, non amicos, sed animam commendo, inquit, vt sic illam cunctis mundi rebus præferre discamus. Benignus Deus, qui petenti latroni, vt sui memor esset in regno suo, misertus est in mundo, & in mundo peccata dimisit, vt mox coronaret in cœlo. Quinetiam huius quàm matris diligentiorem curam gessisse visus est, quippe qui latroni paradisum promisit priusquam matri de filio prouideret. hoc amplius, latroni paradisum absolutè donauit, quia contritum vidit, inimicis non contritis non item, pro quibus orauit tantùm, vt conuerterentur, vtq; exinde illis pariter cœli gloriam condonaret, quam nulli, qui corde pollutus sit, donari conuenit. Notandum præterea, quòd non audiuit dominus matrem filiorum Zebedęi, cùm peteret regni cōmoda, nempe primas sedes pro filijs, priusquam peccatorum veniam consequeretur: Latronis verò petitionem admisit, illiq; gloriam donauit, quòd prius misericordiam postulasset. Sui memoriam in mundo seruari non petijt, sed nomen suum in libro vitæ scribi efflagitauit. Vix credi potest, tantum in eo protinus charitatis, & fidei ignem exarsisse, nisi præcipuo dono cœlos vidisset apertos, & Angelos magnis agminibus domino suo occurrentes. hinc misereri sui postulasse, & vt illum sequeretur obtinuisse. vix enim credibile est, facinorosum, criminibusq; assuetum hominem sui memoriam à Crucifixo haberi in regno petijsse, nisi ipsius regni gloriam aliquo pacto vidisset. Hinc subita illa dexteræ Dei, ad quam pendebat, mutatio. vnde ex blasphemo, confessor, & prædicator euestigio factus est, nempe bonum discernens à malo, peccatorem arguens, & innocentem defendens. Manus quippe ipsa dextera intus tetigit illum, confestimque illum mutauit in virum alterum. Etenim, vt alter Euangelista tradit, vterque latro, nec minus hic, quàm ille, conuiciabatur domino, priusquam hic illius cor gratiæ, & amoris radijs attigisset; vt autem ad intima peruenit manus gratiæ Dei, tunc exuto vetere, nouum induit hominem; re ipsa comprobans, & quid dudum ex se ipso, & quid gratia cooperante paulo post fuerit. O mira Dei misericordia, quæ latro in tota vita commiserat peccata, IESVS in ictu oculi cuncta deleuit. Non enim magnis illum, aut multis oneribus pœnitentiæ grauauit, nec purgari iussit igne purgatorio, sed malorum cunctorum veterum oblitus, solas inspexit virtutes nouas. vnde illius postulatis respondens, ait: Hodie mecum eris in paradiso. quibus verbis & suam declarauit potestatem, & patri Deo primitias fructuum passionis suæ obtulit charissimas. Hodie (inquit) cum tamen sciamus, illum non ante exactos quadraginta dies ad patrem ascendisse. Sed nimirum

rum dixit,hodie, cùm non de corpore sentiret, aut de anima, sed de diuinitate,quæ patri semper assistit inseparabiliter in cœlo; in cuius quidem diuinitatis conspectu stat semper hodie, & vicissitudine tẽporum incommutabilis æternitas. Non tamen hoc nobis cum latrone de misericordia Dei nimium præsumendum est, vt sic impiè viuentes, vltimo vitæ spiritu Dei misericordiam assequi speremus. quoniam nulli alteri tale quid legimus contigisse; periculosaq; est admodum finalis ista conuersio, ne virginum fatuarum exemplo,tempus non suppetat conquirendi diuinę misericordiæ oleum, quo lampades exornentur; ideoque vigilandum est, cùm nesciamus diem,neque horam,vt quando sponsus noster aduenerit, paratos nos inueniat ad sequendum illum cum lucernis ardentibus in manibus nostris,& præcinctis lumbis, vt cõfestim vestibus induti nuptialibus, admittamur ad cœlestis conuiuij mensam cum sanctis, & electis Dei,& cum ipsa præsertim virgine Deipara; quam intuitus,& misericordia super eam motus dominus, Ioanni dilectissimo discipulo, & consanguineo, vtq; mutuum esset dilectionis vinculum, matri Ioannem ipsum commendauit; sic materteram matris, nepotem verò filij vicem subire voluit. Nec mirum, cùm virginem virgini commendauerit, dilectam charissimo, viduam cęlibi, solam soli, vt mutua forent inter eos officia, amor,seruitium, solamen, & auxilium. discipulus vero illi præsto esset, cui nec domus, nec pecunia, nec ager, nec vestis erat; quamq; mœrore confectam,vix erat,qui aspiceret, pasceret, & operiret. At non matrem appellauit, ne aut sua, aut illius viscera commoueret; cùm matris, & filij nomina sint naturæ vincula,pietatis officia,dilectionis studia. Mulierem dixit, vt sciret vnico mox se filio carituram; iamq; filium vocare desineret,quem, uti dominum, & Deum suum adorare debebat: quemq; iam pater Deus iure suo repetebat. Mira quippe est eius in matrem charitas, à qua nec animi dolores, nec corporis cruciatus, nec mortis, sensus sensim carpentis, properatio, filium seiungere potuerunt. Mirum quoque quòd latroni prius,& matri postea prouiderit, illiq; cœlum, & huic discipulum condonauerit. Sed non mirum tamen, quia ore confitenti gloriam, corde uerò precanti socium est elargitus, ut sciamus prodesse quidem cordis orationem, sed uocis pariter confessionem necessariam esse, sine qua nulli unquàm paradisi gloria conceditur. Rursus latroni prius paradisum pollicitus est, quia periculum forsitan uideri potuisset in mora, ne is scilicet descisceret; cùm ab eo minimè deficere potuerit mater, utpotè constantissima, & gratia plenissima. Aduerbio ecce usus est, ut proximam, & iam imminentem mortem suam significaret; uel improuisam filij commutationem; uel summam demum in eam dilectionem; quasi matri diceret: ecce,quia inter clauos,spinas,flagellaq;, & in ipsa extremi spiritus emissione,tui non obliuiscor; quin tibi filium alterum dimitto; qui tui curam gerat: qui te soletur: qui accepta à me officia rependat tibi. Hunc præ cæteris dilexi semper, ideoque dilecto dilectissimam commendo,& dilectissimæ dilectum, ut mutuis uos prouocetis officijs. Magnum certè, & admirandum quid effari uoluit, dum particu-

lam, ecce, præmisit, ac geminauit; forsan quia sub persona Ioannis totum humanum genus in matris protectionem ponere voluerit; quasi diceret: Ecce filius tuus populus meus est, quem ego nunc meo pretiosissimo sanguine redimo: hunc filij loco habeas: hunc tanquàm tuum, tibiq; dicatum protege: pro hoc sis semper solicita. Si me amasti, hunc dilige: si me in mundo hoc vtero gestasti, hunc fer in cœlum tuis precationibus: si me sacris vberibus lactasti, hunc ne cesses alere, & informare virtutibus: si me fascijs ligare studuisti, effice, vt hic sit peccatorum nexibus ex solutus: si primos gressus meos direxisti, cadentem hunc erige, & obfirma: si me ab Herodis manibus exemisti, hunc erue à diaboli tentationibus: si Herode vita perfuncto in patriam me reduxisti, hunc diabolo in sedes inferni relegato, ne cesses ad cœli gloriam euehere: si me demum in tota vita tua auxilio iuuisti, hunc ne desinas in omne æuum sacro sinu confouere. Sic è contrario cùm dixit discipulo, ecce mater tua, nobis miseris peccatoribus dixisse videtur: Quid timetis? quid erubescitis? & mater est, & mater vestra. hæc vos diligit, hæc de vobis vestraq; salute solicita est. hanc cum fiducia adite, huic manus supplices porrigite. si criminum immanitate turbamini: si conscientiæ fœditate terremini: si horrore iudicij pertimescitis: si barathri metu estis consternati, Mariam cogitate, Mariam inuocate. Non recedat à corde, non recedat ab ore, nam ipsam cogitantes non erratis: ipsam inuocantes non desperatis: ipsam sequentes non aberratis: ipsa suffulciente non corruitis: ipsa protegente non metuitis: ipsa duce non fatigamini: ipsa propitia securi peruenitis ad cœlum. Si me filium quæritis, matrem conuenite: si pulchritudinem Angelorum, hæc illorum regina est. tota formosa, tota pulchra, amabilis tota, pulchra, vt Luna, electa, vt Sol. Si martyrum constantiam inquiritis, hæc basis est, & fundamentum; quæ cruci meæ semper adstitit inconcussa, & quouis tormentorum, aut dolorum turbine à me diuelli nunquam potuit. Fuit enim sicut turris fortitudinis, terribilis vt castrorum acies ordinata. Si confessorum diligitis puritatem, hæc est, vt nix alba, & simplex, vt columba. Si virginum amatis pudicitiam, hæc est antesignana. virgo ante partum, in partu, & post partum; flos campi, rosa munda, lilium conuallium. Si tandem cœli gloria vobis est cordi, hæc sua humilitate supra Angelorum sedes euecta est. Quid plura? Dei mater est, filia, & sponsa, in quam ipse ante hac omnia contuli dona mea, deq́ue eius manu volui profluere omnes gratias. Itaque ò mater dulcissima, ò virgo speciosissima, ò regina clemētissima, iam ora dilectissimum filium tuum, illiq; ostende pectus, & vbera, vt & ipse parenti detegat latus & vulnera; sicq; in nos iustè conceptam iram deponat, imminentemq; auertat vltionem. Sed heu pijssime mi domine, quo te dolore fuisse excruciatum crediderim, cùm matrem tuam ante crucem constitisse cerneres, cuius faciei pallor, animi declarans angustias, feruentes lacrymæ dulcissimorum riuulorum instar per genas eius gratissimas vbertim decurrentes, veluti doloris eius, & summi in te amoris amplissimi testes: gemitus dehinc ardentissimi, imo expressi corde, manuum complicatio, oculorum subleuatio, & labio-

& sabiorum contractio ingentia pectori tuo sanctissimo imprimebant vulnera. Licet enim corpus matris non torqueretur, per intestinam tamen compassionem in cruce tecum extensa, clauisq; confixa patiebatur; doloresq; quos euasit pariens, patiente te filio, cumulatius, asperiusq, multò perpessa est. nam sicut in partu omnes lætitia superauit, ita in tui ipsius passione omnium maximè doluit: patiendoque tuos dolores auxit. quia non in tuo modò corpore, sed in materno quoque pectore cruciabaris. Stabat illa quidem non saxeo corde, aut ferreo corpore, sed quia truces claui tui illam pariter, vt collabi non posset, sustinebant. vel quia amor, ipsa quoque fortior morte, vt cadere nequiret, in causa fuit, verùm conspectus, qui tibi olim gratissimus fuerat, vertebatur in tristitiam, & merorem. Hinc bina eodem tempore altaria fuisse erecta patri Deo constat, vnum in tuo corpore, & alterum in matris corde: in tuo tu corpus, & sanguinem, in suo illa animam obtulit. & quamuis sanguinem suum sanguini tuo miscere in redemptionis officium exoptaret, solius tamen tui, qui pontifex eras, hoc munus fuit, vt cum sanguine intrares in sancta sanctorum. Nunc anima mea aspice CHRISTVM tuum dulcissimum parentem veluti humani generis anxijs partus laboribus correptũ. aspice & Mariam dulcissimam matrem nouos partus tui causa experientem, & vtriusque doloribus compatiaris, si modo gratiæ filia esse velis. Post hæc IESVS meus summos patiens dolores, quales nu lus vnquam perpessus est, voce magna ad horam nonam clamat: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Verba sunt dolentis, & patientis. Siquidem spinis caput est perforatum totum: facies contusa, & conspurcata: membra discerpta, & dilaniata: carnes fractæ, & conuulsæ: manus, & pedes duris terebrati clauis; si caput erigit, & allidit cruci, spinas altius infigit: si in alteram reclinat partem, brachia pungit: si auxilium implorat, dari prohibent astantes inimici: si solamen quærit, conuiciantes hostes intuentur oculi: blasphemias audiunt aures: fœtorem loci hauriunt nares: clauos tangunt manus, & pedes: labra fellis, & aceti admistionem degustant. O miserrimam hominis nostri conditionem. An ne sine ratione conqueritur? Quoniam verò oportebat eum pati, & ita intrare in gloriam suam, nec pati diuinitas poterat, humanitatem verò crucifigi necesse erat. Ideo ex his consequenter dicendum est, opus fuisse, vt suspenderetur diuinitas, sicq; pateretur humanitas, & liberaretur humanum genus. Vnde non is dolet, corpus torqueri, aut angi. sed diuinitatem suspendi, quæ haudquaquam poterat separari. Non patrem aduocat, ne patris animum flectendo, redemptionem impedire velle videatur. Sed Deum dicit; quasi iustitiam, & non misericordiam alloquatur. Tunc enim cùm eo iustè agendum fuit, vt misericorditer mox ageretur nobiscum; & nisi ipse iustitiam persensisset, nos pariter misericordiam experti non fuissemus. Hinc diuinitas dereliquisse visa est humanitatem filij, vt pater seruorum non desereret necessitatem. ò miram domini charitatem, qui sui misericordiam haberi noluit, nosq; secundum iustitiam iudicari non permisit. Bis, & non ter idem protulit verbum, Deus meus,

Deus

Deus meus, vt solam filij personam pati ostenderet, & non patris, ac sancti Spiritus, qui à filio se subtraxerant, qui alioquin pati vt Deus non potuisset. Meus addidit, vt inseparabilem naturam, & diuinam significaret possessionem. Vt quid dereliquisti me? An ne causam huius diuinitatis suspensionis ipse ignorauit, qui patri potestate, & scientia par erat? sciuit quidem vt Deus, sed ignorauit vt homo: suspendit vt Deus, passus est idem vt homo. Dereliquisti, doloribus, & cruciatibus: ad tempus, & non semper. Me, nempe humanitatem, quia sola dolet humanitas, quæ sola patitur, quasi illa à diuinitatis fortitudine in arenam veluti à patrino, in ipso fuerit certamine derelicta. Hoc mirum, quòd in morte diuinitas etiam vocata nullam opem tulit: in crucis portatione vltro adfuit etiam non vocata. Nec mirum tamen, quia in morte eius, in crucis gestamine causa nostra agebatur. Quoniam verò hæc mei miseri peccatoris gratia contigerunt, concede tu pijssime mi domine IESV CHRISTE, vt in hora mortis meæ laudes, & gratias tibi habeam, dicamq; quòd me non dereliqueris, atque ope tua sanctissima nunquam destitueris, sine qua nec mortis dolores ferre, nec hostium impetum sustinere possem; sed ipse in acerrimo bello, & in diluuio aquarum multarum, deficerem omnino & mergerer; quemadmodum & in hoc etiam mens absorbetur mea, quòd pro me vili peccatore, pro me ingratissimo seruo, pro me omni scelerum genere coinquinato, tu, qui patri vnicus, & dilectissimus es, fueris derelictus, quodque pro tam vili, & adulterina merce tam pretiosum effuderis thesaurum. Hic sacerdotes adstantes Heliam vocari credentes, sine videamus (inquiunt) an veniat Helias ad liberandum eum; quin irridentes, vt de cruce descenderet, hortabantur. Sed ò stulte, cæceq; grex sacerdotum. an ne impossibile illi erat de paruo ligni stipite, qui è suprema cœlorum sede descenderat? Nunquid tua vincula eum tenere possent, quem cœli non possunt capere? Non venit quippe, vt se liberaret, qui sub seruitute non erat: sed vt nos de seruitute redimeret. Fraudulenta credendi promissio tua, maius fecit surgens de sepulchro, & non credidisti, nec si de cruce descenderet, crederes. Iam uerò positis cum Deo rationibus suis, posteaquam inimicis, latroni, & matri prouiderat, sitire se clamat Dominus meus; nec mirum, quia duplici angebatur siti, corporis nempe, & spiritus: temporaria, & æterna: hæc animas, illa elementum respiciebat. Vt primùm enim primus ille omnium nostrum parens desciuit à Deo, & grande admisit scelus, quo nos omnes posteros labe suæ defectionis infecit: secundus hic parens noster immensa, nimiumque æstuante salutis nostræ exarsit, atque vstus est siti, quam sistere, depellereq; ante passionis tempus nunquam potuit. Tunc enim de torrente infirmitatum, dolorum, & passionum in uia uitæ huius bibit, ut exaltaret caput, simulque & nos membra attolleret sua; & tunc saturatus est, opprobrijs, uidelicet, ut nostra tolleret opprobria; unde alibi dixit ad patrem: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Vtinam uerò utilia eius membra simus, ut exaltemur cum capite. Sed quoniam sub capite spinoso non decet membrum esse delicatum, uerendum est nobis,

ne

ne putrida illius membra simus, orandumq; est simul, ut hic vrat, hic secet, vt in æternum parcat. Propinauit ipse nobis quidem amarissimum poculum, vt nos membra eius sanaremur: sanguinem misit, vt nostras curaret ægritudines; sitim ablueret cupiditatum, nostrosq; componeret sensus, ac pristinæ redderet sanitati. sed nos miseri, tanquàm multa febre phrenetici, & medicum reijcimus, & pharmaca respuimus; vnde mirum non est, si infirmitas est ad mortem. Similis factus sum (inquit ipse) Pelicano solitudinis, quasi dicat, ingrata anima, quid ruis in interitum? quid fugis medicum? quid spernis medicamina? quid ego amplius præstare potui? Proprio filio non pepercit Deus, & parcet tibi? Donauit illum quidem nobis, sed quasi repudiatæ à nobis donationis fructu caremus. Percussit illū propter scelera populi sui. populus autem non cognouit tempus visitationis suæ. Quemadmodum Pelicanus, vt suos pullos à serpentum ictibus seruet, rostro sibi pectus pertundens elicit sanguinem; sic & dominus noster, vt nos à rabidis dęmonum dentibus eriperet, pretiosissimo sanguini suo non pepercit; vnde se meritò cum Pelicano comparauit; sed cum Pelicano solitudinis. Porrò cùm solus esset, suaq; frueretur gloria, nullis nostris indigens bonis, sortem nostram miseratus, qui eius indignationis incommodum de primo parente contraxeramus, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, quia delitiæ eius esse cum filijs hominum; & vt maius dilectionis præberet argumentum, sui sanguinis riuos reserauit, ex quibus altera sitis est consecuta, nempe corporis, temporaria, & elementum appetens. Sed nos miseri, ingratiq; serui in magna siti potui dedimus acetum; fel obtulimus, pro aqua sacri lateris acetum dedimus sitienti. Quæ verò est immanitas isthæc, vt moribundo, ac sitis ardore confecto, ne aquulæ quidem haustu gratificari voluerint. Si cruci eum suffigere expetescebant, iam voti compotes facti fuerant: si necare, iam animam agebat; iam nulla spes vitæ supererat; quam verò crudeliter in eum sæuitum sit, obscurum hinc nemini esse potest, cùm tantum aquæ etiam languenti, & morienti obstinatis animis pernegauerint; id quod ab illis sine vlla dubitatione factum esse credendum est, vt quem intestino odio prosequebantur, illi summam rerum omniū desperationem afferrent. omnibus siquidem elementis simul, quæ communia sunt etiam feris, ipsum dominum priuare voluerunt, aqua scilicet negando potum; calore, spoliando; terra, in cruce suspendendo; aere, necem inferendo. Cæterum aliam fuisse sitim, quàm ipsi arbitrabantur, largus, qui mox manauit è sacro latere sanguinis, & aquæ riuus, apertissimè demonstrauit. De torrente bibit in tempore, de fonte ab æterno: ab æterno de fonte voluptatis, in tempore de torrente dolorum, & tormentorum: ab æterno in sede, in tempore in via: Bibit de fonte ab æterno, & saturatus est voluptate diuinitatis suæ: bibit de torrente in tempore, & saturatus est opprobrijs humanitatis suæ. Itaque sitis sitim, & saturitas saturitatem est consecuta. Dulce poculum diuini fontis, amarus haustus humani torrentis. Sed sitit Deus, bibit homo; veluti diues hic, egenus ille; nimirum tamen, quia sic placuit illi, qui hæc ad hunc modum

composuit,

composuit, atque digessit, vt essemus diuites in omnibus, & per omnia. Ad hæc, gustauit quidem, sed non iccirco bibit fel peccatorum nostrorũ, quia peccati incapax fuit. Fel, hoc est pœnam gustauit, non tamen acetum, hoc est reatum, bibit. Nam, vt primi parentis expiaret culpam, qui in paradisi delitijs è ligno vetitum carpsisset, & comedisset malum, voluit is, pendens in ligno crucis, inter mortis angustias sibi fellis, acetiq; poculum dari. Cognouit enim sua inscrutabili sapientia ad sanandam iacentis mundi ęgritudinem exitialem, potione, & missione sanguinis opus esse; quod quidem præstitit diligenter, sumpta fellis, & aceti potione, & ab omni corporis parte misso profluenter sanguine. Sed quonam modo constare hæc ratio potest, vt benè habenti poculum præbeatur, venaque secetur: æger verò, & malè habens, sine his, ægritudine leuetur? Constabit autẽ ratio ad amussim, si cogitauerimus, nos capitis nostri, qui CHRISTVS est, membra esse; & sæpe fieri, vt in profligata valetudine membra à morbis vindicandi gratia, caput, etiam sanum, venæ scissura lancinetur. Caput igitur nostrum vulneratum est, vt sanarentur membra. O bone medice, & ò medicina mea præsentanea, cuius haustu à me omne morbi genus depulsum est. Fusus verè est sanguis medici, & factum est medicamentum phrenetici. Sitit adhuc anima mea ad te Deum fontem viuum; & sicut ceruus desiderat fontes aquarum, ita anima mea ad te Deus. vt sitio, ita satia; bibat anima mea de torrente in carne, vt bibat de fonte in spiritu: De torrente in peregrinatione, de fonte in patria. Lauasti me Deus meus in sanguine tuo: satiasti lateris profluuio: abluisti baptismatis fonte: lauabis pœnitentiæ flumine: latice asperges gratiæ: & merges gloriæ pelago. Sed & tu mi Domine adhuc sitis salutem meam, honoremq; æterni patris tui; vnde non immeritò sitire te clamas, qui pro mea salute vt piè credere par est; etiam millies, & centies millies pati non refugeres. immo & ad mundi finem vsque in pœna crucis esse non dubitares, vbi id salutis meæ ratio exposceret; quemadmodum & pro patris honore in cruce pendens plus adhuc agere, & pati sitisti; Quare factum est, vt patris tui, & meam vna leuaueris sitim; patris quidem in reparando Angelorum ruinas: meam verò in redimendo ab inimicorum manibus. Tu verò adhuc clamas, & sitis, dicens: Mulier da mihi bibere; nec Samaritanum à iudæo distinguis, sed ab omnibus indifferenter flagitas potum. potus autem tuus est, vt faciant homines voluntatem patris tui; & patris voluntas est sanctificatio nostra, vt animas nostras reddamus sanctas in præceptis tuis ambulando. Esuris, qui cunctos pascis: Sitis, qui potum omnem creasti, quiq; spiritualiter panis es esuriẽtium, fonsq; sitientium: ab itinere terrestri es fatigatus, qui te ipsum nobis viam fecisti in cœlum: obmutuisti, & obsurduisti coram conuiciantibus, per quem mutus locutus est, & surdus audiuit: Vinctus, qui de infirmitatum vinculis nos soluisti: Flagellatus es, qui omnium flagella dolorum de hominum corporibus expulisti: Crucifixus es, qui cruciatus nostros finisti: Mortuus, qui mortuos suscitasti: Sed & surrexisti nunquam moriturus, ne à te quisquam sic discederet, mortem contemneret, quasi nunquam futurus. Sed

iam

iam aſſiſtit mors ad caput, deficiunt ſenſus, incipiunt oculi tenebris obſcurari; nihil aliud ſupereſt, niſi vt agatur ſpiritus. Hinc IESVS meus, conſumata inquit eſſe omnia. nempe ſanguinem, vires, vitam, dolores, tormenta, pœnas, patientiam, humilitatem, obedientiam, prophetica vaticinia, & redemptionem ipſam. Sub ipſam verò redemptionis conſumationem cœlum perturbatur: quatitur terra: lapides concurſatione diſſiliunt: ſcinditur velum templi: terræ tenebris obducuntur: fugiunt dœmones: infernus contremiſcit: omnis in ſumma compatitur creatura CHRISTO morienti; ſolus non compatitur homo, pro quo ſolo CHRISTVS patitur. Opere autem conſumato, gaudet aer nouo lumine perfuſus: rident cœli: terra noſtra noua ornata dignitate Angelicos præuertit choros: languent dulcedine piorum corda: canunt Angeli: parantur electis ſedes in paradiſo. Solus ego miſer clamito, conſumatam vitam meam, quia dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & canities vicinam prænunciat mortem, abuſum me temporis vſura, talentum abſconditum, quod negociationis cauſa acceperam, venia indignum me effectum eſſe, nec ſupereſſe aliud, quàm ſpem ipſam miſericordiæ. Tu verò mi Domine adhuc clamans ais: conſumatum eſt; quaſi patri dicas: opus, quod dediſti mihi, iam conſumaui, ſanguinem profudi, venæ exaruerunt meæ, medullæ abſumptæ, raucefcit guttur, quid amplius præſtare potui? Breuia ſunt quidem verba, quæ Dominus in cruce protulit, ſed grauida ſacramentis. ſiquidem quicquid æterna ſapientia conſtituerat, quicquid iuſtitiæ rigor pro ſingulis quibuſq; exigebat, quicquid poſcebat charitas, quicquid patribus promiſſum fuerat, quicquid præſignauerant myſteria, figuræ, cęremoniæ, & ſcripturæ, quicquid redemptioni noſtræ neceſſarium fuerat, quicquid glorioſum eſſe poterat ad amorem ſummum in nos demonſtrandum, quicquid ad explendam paternam obedientiam, potuit deſiderari, quicquid ad omnium virtutum exemplum proponendum excogitari poterat, quicquid demum honeſtum, ac congruum fuit ad glorioſum mirificæ victoriæ redemptionis noſtræ triumphum celebrandum, cuncta hæc concluſa ſunt hoc verbo: Conſumatum eſt. Itaque nihil iam ſupereſt, niſi vt in hac glorioſa certaminis victoria, coronam accipiat; vtpotè qui bonum certamen certauit, & curſum conſumauit; cuius rei cauſa commendat ſpiritum patri. Namq; cùm lacerum corpus cruci affixum eſſet, & iam ſanguinis ceſſaſſet fluxus, cùm nec guttula quidem videretur ſupereſſe, veſtimenta tum diuiſa inter milites, tum ſorte diſtributa eſſent, nihil tenens amplius, niſi ſolum ſpiritum, hunc ipſum patri commendauit, vt ſic vltima reſponderent primis; nempe, vt ſicut primo loco pro inimicis orauerat, vltimo ſaltem ſe ipſum commendaret. At verò pro inimicis orauit, vt conuerterentur: latroni contrito, & conuerſo paradiſum eſt elargitus: ſuum verò ſpiritum patris manibus conſecrauit. Inimicis ſiquidem non contritis paradiſum polliceri non decebat, nec pro latrone contrito deprecandum erat, ideo ex ordine cuncta, vt par erat, Dominus ipſe diſpoſuit. Et quamuis à patre & filio procedat ſanctus Spiritus, nihilominus patri commēdans ſpiritum, animam,

quæ filij propria erat, commendare voluit. Sicq; habemus CHRISTVM IESVM ex patre nascentem, in patre cubantem, cum patre sedentem, sub patre pendentem, à patre ambulantem, pro patre stantem, sine patre morientem. Hinc ego, cui, amissis reliquis donis, solus superest spiritus, à te, mi domine, vehementer peto, vt in hora mortis meæ spiritum meum accipias, illumq; in cœlestis Hierusalem firmitate constituas; & quicquid labis sua iniquitate contraxit, lauacro tui cruoris abluatur; ita vt abstergas quod est meum, & tollas, quod est tuum. Interim autem non desistam contemplari, quæ pœna tua fuerit in ipsius animæ, & corporis separatione. quandoquidem cùm triginta tribus annis, veluti amantes duo in lectulo vno pacificè, miraq; concordia quieuissent, nulla vnquam lite, nullo dissidio, nullaq; excitata simultate, non poterat non grauis admodum, & molesta esse imminens ipsa diuisio. Sanctum enim corpus dolebat fidum amicum, pacificum patrem familias, piumq́ue magistrum, ac præceptorem tam cito discessurum: spiritus pariter, atque sanctissima anima diuelli à fidissimo seruo grauiter, molesteq; ferebat, cùm illius morigerum famulatum experta esset, qui nec frigoris, nec æstus, nec famis, nec sitis molestias vnquam refugerat, sed labores, doloresq́ue sustinuerat æquanimiter semper. hoc amplius, salutis nostræ organum, instrumentumq; erat, cuius quidem salutis anima domini diligentem gerebat curam. Hem, quis siccis oculis cernat expallescentem cultum, deficientes oculos, lurida labra, languentia membra, sensimq; demittens se caput, vltimum Vale dicens, in paternæ reuerentiæ signum, & in amoris erga nos sui testimonium? quis verò non expaueat? quis non flebilibus vocibus, & eiulatu acerbissimum casum doleat? siquidem puncto temporis tartareas fores perrupit, & sanctorum patrum animas è carcere liberauit. statutoq; inde tempore ad cunctis alijs eminẽtiorem sedem euolauit; fuitq; vno, & eodem tempore apud inferos, & in cœlo: illic patiens iniuriam carnis, hic non relinquens gloriam deitatis. erat apud inferos resurrectio mortuorum: erat in cœlis vita viuentium. O velox cursus ventorum ocyor pennis. Occurrunt Angelorum agmina: excipit lætanter parens triumphantem filium: gaudet cœlum: coruscat æther: totaq; resultat concentibus aula cœlestis. Sed ò nos miseros, ò nos orphanos, Tam cito ò bone IESV nos deseris? tam repentè faciem tuam abscondis? quis miserebitur nostri? quis nos solabitur? quis nos tuebitur? quis nostris medebitur ægritudinibus? ad quem confugiemus? quis erit miseriarum modus? an ne in tenebris sine luce ambulabimus? an ne sine ductore errabimus inter lupos? Sed ò felicitatem nostram, quia terra nostra, idest humanitas tua super omnes cœlos euecta est, altioremq; cunctis alijs thronum est assecuta, vt in æternum regnes, nostrique curam geras. Pater enim tuus super omnes creaturas nostram in te exaltauit humanitatem, illumq; ad dextram suam collocauit, ita vt, quæ maledicta erat olim, damnationiq; addicta, iam benedicta sit, sanctificata, & vltra beatos omnes mirificè erecta; & quæ prius despicatui erat dæmonibus in inferno, modò ab Angelis adoretur in cœlo. Tu pastor bone, qui animam posu isti

fuisti pro ouibus tuis, qui cognoscis oues tuas, & quem cognoscunt tuæ, dirige gressus nostros in beneplacito tuo, & nos errantes, ad tuum reduc ouile, vt ingredientes,& egredientes inueniamus pascua dulcia, pinguia, amęna,& indeficientia, vbi tu pabulum es, pastor, & agnus. Ne, quæso, permittas nos à rugienti leone deuorari. inclinata est iam dies ætatis nostræ, aduesperascit, & cadunt altis de montibus vmbræ; introduc miseros priusquam tenebræ nos comprehendant,& antequam cœli fores cōcludantur. Ego verò præstolabor aduentum tuum, mortisq; meæ tempus obseruabo; ante crucem prostratus precabor, plorabo, illamque venerabor, reliquias colligam,& rationes meas componam, vt cùm meæ villicationis rationem poposceris, nulla interiecta mora, dicto paream; & si fortè conturbatæ rationes videantur, degulatum patrimonium, comminuta bona, vertere me tamen ad preces queam, & deprecari pro peccatis meis. *Hic cum Anselmo dicam*: Quid fecisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? quid admisisti ò amantissime iuuenis, vt tam viliter tractareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio dānationis? Ego sum tui causa doloris, tuæ culpa occisionis: Ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor, tuæ vitæ meritum, tuę vindictæ flagitium. Age verò dum mecum hæc ipse cogito, lancea miles latus aperit, fluit sanguis, & aqua; vt videant homines in quem transfixerunt. quod quidem latus nisi apertum fuisset,& fluxissent sanguis,& aqua, madefacientes corpus, totum me hercule crediderim amoris incendio concrematum, in cinerem versum iri. Nouissimum hoc vulnus omnium reliquorum grauissimum, quippe quòd non manus, non pedes, sed cor ipsum petijt, cor ipsum aperuit, vltimum certè executione, sed intentione primum. Intentio amoris, executio odij partus extitit: ab æterno dilectionis, post mortem sarissæ dominus vulnus accepit. siquidem ante mundi constitutionem Adæ lapsum præuidit Deus, nec mundum tamen creare supersedit, quia dilectissimi filij mortem ab æterno præordinauit ad ipsius mundi instaurationem, & ad amoris in nos sui ostensionem. Filij autem mortem tollere noluit, ne simul hominis tolleret libertatem; sicque hominis arbitrium CHRISTI vitæ prælatum est. tanta est Dei bonitas, vt suū dare maluerit,& alienum tollere, indecens esse cognouerit. Cùm enim posset aliter,& alio modo Adæ peccatum abolere, vtpotè diues in omnibus, simulq; filij mortem, & Iudæ damnationem deuitare, maluit tamen filij pectus aperire, & claudere inferni fores. Necessarium verò fuit, vti Deus assumpta carne pateretur, vt dissoluto hominis debito, iustitiæ Dei satisfaceret. Nam homo non poterat, & Deus non debebat; quia moriendo parum patiebatur homo; Deus verò pati non poterat; ideoque Deum,& hominem simul esse oportuit, qui pateretur, & solueret. Hinc mira Dei charitas elucescit, qui nos redimendo, quàm creādo mundum, opus maius molitus est. siquidem creando, dixit, & facta sunt: recreando verò, facto satisfactorio opus fuit, nempe filij morte. In ipsa creatione Deo hominem tradidit; se ipsum verò Deum homini in recreatione donauit. Quid? mortem ne filij optauit Deus? absit, sed necessariam du-

xit ad maiorem sui in nos amoris expressionem. Cùm enim pius in nos esse vellet, pietatiq; obstaret iustitia, cui omnino satisfaciendum erat, iustitiæ persoluit debitum, vt pia gratia nos ditaret. Crudelis quippe in se ipsum visus est, vt in nos, qui inimici eramus, pius esset. Bellum intulit sibi ipsi, vt nos pacis commodis frueremur. In mundo moriens clausit lumina, vt nos viuentes oculos aperiremus in cœlo. Breuem dormiuit noctem, vt nos perpetuum vigilaremus diem. Spoliauit se luce, & inuoluit tenebris, vt nos æterna cœli claritate vestiret. Clauis firmissimis voluit in cruce suffigi, vt intelligeremus, obsidem eum esse datum causa pacis; sciremusq; pariter, certam esse salutem nostram, nec eum à nobis amplius recessurum. Præterea cùm infinito Deo teneremur infinito debito, infinito etiam pretio infinitæ æstimationis, quod sanguinis eius pretiosissimi fuit, pro nobis exsoluit, vt non tetro inclusi carcere veluti rei, sed ornatissimo in atrio, ceu amici, frueremur munificentia eius, ac liberalitate. Maiorem quippe non habuit charitatem Deus, quàm vt animam suam poneret pro nobis, & si maiorem habuisset, ea vtique in nos vsus fuisset; cùm verò nec cogitari quidem maior potuerit, hinc intelligere possumus, nihil maius ab eo nobis præstari potuisse. Dei iustitia sanguinem; charitas aquam exposcebat, en vtrique satisfactum, dum ex sacro latere demanat sāguis, & aqua, quibus plectitur iniuria, & abluitur scelus. Hinc sanguis, & aqua ostendunt, non sufficere contritionem cordis, oculorumque lacrymas, nisi merito sanguinis admistæ promereantur nobis veniam, & vitam. Mira etiam hinc se aperit domini liberalitas, quòd cùm in eius morte, vt ferè fit, sanguis ad cordis arcem se recepisset, hunc etiam ipsum post mortem nobis muneri dedit, vt intelligeremus, nihil eū prorsum sanguinis, neque subsidiarium quidem sibi reseruasse. Hinc dicamus pariter, quòd si fons sanguinis ipsum cor appellatur, in apertione lateris, cor, sanguinem, & animam elargitus est nobis. quòd si cum sanguine cor, & animam donauit, cur non & cœli gloriam largietur? Sat esse poterat, quòd viuus carnem, & sanguinem nobis dedisset, sed ne hoc quidem satis fuit charitati eius, qui post mortem cor aperuit quoque, vt cognosceremus, viuentem pręcepta dedisse, & miracula; morientem sanguinem, & aquam; post mortem, cor, & spiritum sanctum. brachia insuper extendisse, vt offerret complexum; vultum demisisse, ne iratum suspiceret patrem, concitataq; in nos Angelorum agmina: sed vt nostri misereretur, tantisper dum in hac viuimus lacrymarum valle. O humile paternæ obedientiæ, & reuerentiæ signum, quo primi parentis inobedientiæ, & irreuerentiæ satisfactum est. O immensa miserendi nostri cupiditas, vnico enim cordis gemitu, & suspirio iustam in nobis suæ vltionis sententiam aboleri, & antiquari patitur. Testis est latro, qui cùm nefandissimis criminibus cūctis diebus vitæ suæ gehennam ignis sibi nactus fuisset, cœli gloriam demum vnico suspirio consecutus est. Hic profectò est Dei nostri mos antiquus, vt pro vnico, vel minimo obsequio ingentia rependat præmia. testatur latro, qui humili, vt dictum est, diuinitatis confessione, scelerum omnium promeruit ablutionem: testatur Veronica, quæ de

facie Dominica sorditudinem sudariolo volens abstergere, veram ipsius faciei imaginem, sudario impressam, mirabiliter adepta est: testantur Magdalena, Zacheus, Publicanus, & alij, quos recensere longum esset, & laboriosum. Quid ergo timebis, ò peccator? quid formidabis? Hic Deus tuus, hic dominus tuus est. Patiens est, benignus est, misericors est; ne timeas adire thronum eius, quia nihil quærit, nihil amat, nisi vt resipiscas, & redeas in viam. Omnia in eo habes, & omnia in nobis est CHRISTVS. si vulnere curari desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si times mortem, vita est: si tenebras fugis, lux est: si cœlum inquiris, via est: si cibum amas, alimentum est: omnia omnibus factus est, pauper egenis, diues diuitibus, flens flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus, prodigus abundantibus, in carcere cum paupere est: cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit, in deserto esurit, vt cibus primi hominis, quem præuaricatione gustauerat, eius ieiunio solueretur. Cum Deus esset, inclinauit cœlos, & induit hominē, vt tu homo erectus Deum indueres: Formam serui accepit, vt tu Dei formam assumeres: Immortalitatem suam cum tua mortalitate cōmutauit, vt tu immortalitatis eius particeps euaderes. Et quanam ratione de illius pietate dubitabis, si pietas ipsa effecit, vt crucis patibulum subiret? Crudelis in se fuit, vt pius in nos esset; & sanguini suo non pepercit, vt nobis parceret, culpasque nostras ablueret. Hinc Augustinus ait: inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum, ad osculandum: cor apertum, ad diligendum: brachia extensa, ad amplexandum: totum corpus expositum, ad redimendum. Hæc quanta sint cogita, hæc in statera cordis tui appende, vt totus tibi figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. Et Bernardus in sermonibus suis: Caput (inquit) Angelicis tremebundum spiritibus densitate spinarum pungitur: facies pulchra præ filijs hominum sputis Iudęorum deturpatur: oculi lucidiores Sole, caligantur in morte: aures, quæ audiunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus: os, quod docet Angelos; felle, & aceto potatur: pedes, quorum scabellum adoratur, cruci clauis affiguntur: manus, quæ formauerunt cœlos, sunt in cruce extensæ, & clauis affixæ: corpus verberatur: latus lancea perforatur: & quid plura? non remansit in eo nisi lingua, vt pro peccatoribus oraret, & matrem discipulo commendaret. Itaque ad illum accede, & si metuis, sociam adhibe Magdalenam, quæ peccatrix fuit, & lacrymis Apostolatum promerita est. Latronem aduoca, qui vitam flagitijs omnibus contaminatam vno gemitu ad pristinum nitorem, puritatemq; reuocauit. Ego verò omnium perditissimus, & profligatissimus homo, qui plurima, & flagitiosissima facinora patraui, omniq; scelerum genere animam commaculaui meam, crucem amplexabor, expendam animo passionem Dominicam diligenter, meditabor, vt columba. Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & ipse remittet impietatē meam mihi. Anima mea sicut terra sine aqua domino, verum in eam à quinque perennibus fontibus, immo fluminibus è sacro corpore manantibus, gratiarum

aquas

aquas deriuabo, vt irrigata satis, secundum captum suum, æternę vitæ fructus reddere discat. Vos ò beati spiritus, qui comites nostris spiritibus adesse soletis, nunc adeste, quæso, & meis optatis aspirate, vt spiritus ipse meus spiret, respiretq; diuinum spiritum; iamq; eò tendat, quo diriguntur cogitationes omnes, quo optimæ inspirationes ferunt. Esto tu crux mihi speculum animæ meæ mihi sordes eius omnes repræsentans; te sine neque ego me ipse nouerim, neque squaloris illuuies tolletur. Tu nidus, in quo phœnix mea sedit, dum vellet nouam vitam instaurare, ac reparare. Hic dulcius cecinit, quàm alibi: hic feruentius amauit: hic largius donauit: hic ardentius orauit: hic diu fatigatus quieuit: hic thronum dominus posuit suum. Sed quænam quies in duro, & angusto ligno? qui somnus inter spinas, clauos, & lanceas? qui throni maiestas in derisionibus, & conuicijs? crux thronus, claui sceptrum, corona spinea, purpureum indumentum, detrita vestis, astantes latrones, consiliarij carnifices, & balatrones curiales, mensa ex arundine, & spongia, cibus, fel, & acetum, aromata, & odores, purulenta sputa. O longè à regno mundi dissimile Dei regnum. ab hoc refugit caro, & sensus, ad hoc accedit spiritus, & ratio. Huius enim maiestatis contemplatione accenditur animus, refricatur passionis memoria, in qua sola spes omnis bona sita est, & ex qua sola animus cœlestia haurit gaudia nullo tempore peritura. Namq; ex amarissimo domini bello, mihi pax dulcis paratur: prodit ex lateris vulnere animæ salus meæ: à flagellis medicina: à morte vita: ab inclinatione capitis, erectio animæ: à sanguinis emissione, indulgentiæ, remissiones, sacramenta: à spinis, humilitas: à clauis, libertas: à lancea pax cordis. Hem nos miseri, qui beatos illos esse putabamus, qui seculi huius felicitate, delitijsq; perfruuntur, cùm tamen Dei filium crucis ignominiam sustinuisse conspiciamus. Hæc profectò crux est humilium tuitio inuicta, superborum deiectio, victoria CHRISTI, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum. de qua Chrysostomus: Crux est, inquit, Christianorum spes, crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cęcorum dux, conuersorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. & Damascenus: crux CHRISTI clauis est paradisi. hęc infirmorum baculus, pastorum virga, cōuertentium manu ductio, proficientium perfectio, animæ salus, & corporis, omnium bonorum datrix. & Bernardus: ò verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior vniuersis. O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare salutis fructum. Idem alibi: Vide quid de Deo tuo sentias, vide quantum de eo præsumas. Vide quis brachijs vicariæ charitatis amandus, & amplectendus sit; qui tanti te æstimauit, immo qui tanti te fecit. De latere enim suo te formauit, quando propter te à Deo patre exiuit, & matrem synagogam reliquit, vt adhærens ei, vnus cum eo spiritus efficiaris. Humilem te iam præbe anima mea in huius conspectum crucis, quæ humilem dominum tuum suscepit, & sustinuit, cùm è regalibus sedibus ad nostras sedes applicuit, cumq; pauperrimam in cruce pati mortem elegit, vt diuitem in cœlo nobis

bis donaret vitam. Compatiaris domino tuo, quia studiosus miles non sentit sua, cùm benigni Ducis vulnera intuetur. Si vnquam superbisti, humiliatum respice caput CHRISTI, & peracutis spinis circumpunctum: si auarè nimium egisti, intuere manus eius duris clauis perforatas: Si quando carnis ardoribus flagrasti, vide quam rigidè membra omnia ad columnam discerpta, fracta, & dilaniata sint: Si ira accensa conturbasti omnia, vide eum mansuetum pro nobis inimicis animam in patris manus commendare, inde latus lancea apertum præbere: si te ipsum, ac proximum inuidendo contristasti, contemplare illum sortem nostram miseratum, nobis alacriter sanguinem suum donasse: si gulę indulsisti intemperatè viuendo, felle, & aceto potatum respice: si quandoque torpuisti, & diuinæ accipiendæ gratiæ occasiones amisisti, ipse suis conclauatis pedibus adhuc te expectat ad pœnitentiam. Audi vocem eius turturis, & columbæ cantum æmulantem: Veni amica mea, columba mea formosa mea, intra in foramina petræ, & in cauernam maceriæ. Petra CHRISTVS tuus est quinque iam foraminibus pertusus, qui adhuc clamat, foderunt manus méas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Lapis est hic, quem reprobauerunt ædificantes, quiq; positus est in caput anguli; & iure quidem, quia vndique pertusus, contusus, & scalpro tormentorum probatus est. Dic & tu anima mea CHRISTO tuo: Intra & tu in petram, hoc est in cor meum omni silice rigidius, vt in eo tuā insculpas imaginem, quæ omnem auferat prosanam impressionem. Scinduntur petræ, & velum templi in partes diuisum est. Tu vero omni saxo durius cor meum adhuc in morte domini obduresces, & in tuo rigore permanebis? Si Sol, & Luna, moriente domino, lumine spoliati sunt, quia non alia de causa is mori voluit, quàm vt è pectore meo peccati tenebras depelleret; quid ni tu anima mea in huiusce noctis atra caligine te ipsam excuties, vt cum CHRISTO tuo vigiles in æternam lucem? Si è petra, qui CHRISTVS est, manauit sanguis, & aqua, cur non saltem compunctionis, & contritionis educes lacrymas? Percussit Moyses petram in deserto, & fluxerunt aquæ; percussit lancea Longinus pectus domini, & manarunt sanguinis, & aquæ riui: percutiet & Deus cordis mei petram, & fluent pœnitentię lacrymæ. Terra tremit, franguntur lapides, aperiuntur sepulchra, exeunt mortui, & in sanctam veniunt vrbem; & non scindetur cor? non aperietur fœtens peccatorum sepulchrum, in quo iacet anima semimortua, vt rediuiua cœlestem Dei ingrediatur ciuitatem? Super hæc, si ab ipso silice ignis excutitur, minimè verendum est, quin CHRISTO petra viua cor meum omni lapide durius percutiente, scintillæ viui, cœlestisque ignis, immo ardentes flammæ charitatis Dei sint prodituræ, quibus anima concremata, phęnicis instar, antiquis succensis exuuijs, nouam, æternamque victura sit vitam. Vos etiam spinæ, quæ dominicum pupugistis caput, cor humilis serui pungite, quia sicut diuinum caput alio diademate redimi decuit, sic & cor meum alia spina pungere non debet. Cor ipsum iam figite, cuius consixu versabunt oculi contritionis lacrymas, quæ mihi gratiæ aquas impetrabunt, habendiq;

cupidinem

cupidinem inexplebilem sedabunt, & fiet in me fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam; vbi cessante luctu, & geminatis gratijs, frui dabitur bonis perennibus in patria. Hem membrum pungite, vt capiti condoleat suo; cùm non deceat sub capite spinoso membrum esse delicatum. Si nobis ille spicas dedit, nosq; illi spinas; cur non efficiet spina, dum configitur, vt conuertar in ærumna mea? Si caput is spinarum puncturis subiecit, cur non vitiorum meorum spinæ, tribuliq; euellentur? Noui quidem, nec dubito, quin Sathan, sub exitu vitæ, malè affectæ conscientiæ meæ, vti spem omnem de mea salute mihi præripiat, rationem prolaturus sit: spero tamen, habeoq; pro comperto Angelum custodem debiti depensionem, & solidationem omnem cruore Dominico magni pretij cumulatissimè factam deprompturum esse, quæ res me ipsum in fide solida, & constanti spe misericordię eius retinere, & audacter confirmare poterit. nam quæcunque inimicus meus aduersum me debita nigerrimo peccatorum meorum atramẽto crudeliter exarauit, hæc ipsa roseo, pioq; cruore suo dominus meus IESVS deleuit, & absterſit. Cùm enim modica delectatione corporis, æternis ignibus me deuoui, id ego diaboli incitamentis, & malis artibus delinitus commisi; quoniam verò in hoc diabolico contractu enormissima intercessit læsio, quę probat, dolum aduersarij mei dedisse causam contractui; non dubito, quin viuorum, mortuorumq; iudex rescissurus sit contractum, nec passurus, vt pro modica, & temporaria delectatione peccati, anima cunctis mundi diuitijs maximis, & æternis deputetur supplicijs. Quòd si pater sanguinem quærit in nostrorum scelerum vltionem, te charissimum aspiciendo filium, sanguine aspersum madidumq; totum, iam esse iustitiæ diuinæ satisfactum agnoscet, satisq; in hominem vindicatum. quia cùm Deus esses patre non minor, humanitatem assumpsisti nostram, Deusque, & homo constitisti in medio, & vt inter Deum, & hominem pacem firmares, factus es omnium nostrorum scelerum reus, quorum omnibus malis excruciatus, graues admodum pœnas reddidisti. Quod si ita est, quis vnquam dicere audebit, ad mundi totius delenda peccata mortem tuam non sufficere? Nunquid è summo cœlo iterum descendes, nostramque rursus carnem assumes, vt pro nobis patiaris, quoties in aliquo flagitiorum genere volutabimur? Absit: Sufficit enim te semel descendisse, vestemq; inimicis diuidendam permisisse, vt sic instar noui Iosephi, nudus, vt veneras, ad patrem redires. ab hinc autem, si quoties prolabamur, memoria passionem tuam repetentes, condolebimus, non dubito, quin peccatorum omnium veniam consecuturi simus. Hincq; dulcem esse, & amara simul passionem tuam iustis rationibus pronunciare non dubitamus. quoniã dulcis quidẽ est nobis, qui fruimur fructu eius; amara tibi, qui tulisti pœnas. quinetiam dulcis tibi ob affectum, quo nos dilexisti; nobis autem amara propter peccata nostra, quę tantæ amaritudini causam præbuerunt. vnde sacra canit ecclesia: Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera. O dulce lignum, ò dulces claui, ò dulces spinæ, ò mors dulcissima domini mei. Potuisti quidem, ò mors candidũ velum, immaculatamq; CHRISTI

STI carnem dilaniare,sed in ipso morsu fuisti dentibus,& veneno exarmata; & quæ nobis olim fueras dura,& amara,nunc dulcis effecta es,tantumq; optata modo, veluti ad æternitatem necessaria porta, quantum olim in horrore fuisti, veluti huiusce indiuidui nostri dissolutrix, & via certa ad perpetuas tenebras. O te miseram,quæ delitescentem non agnoscens diuinitatem,humanitati dentem admouere non dubitasti,& humanitatem concerpens,diuinitatis mucronem experta es, vnde & cōcidisti. Mors quidem à morsu rectè dicebaris, vtpotè quæ nulli parcens, omnes simul morsu impetebas,nunc autem deterius nihil moliri potes; quia vbi prius omnes absorbere, & deglutire solebas, nunc Christicolas solū mordes, quippe cui Deus morsum duntaxat reliquit; illumq; minimum lædentem,excussis nempe dentibus,& faucibus effractis. O nos beatos,quos tu dulci commendas somno,in nouissimum vsq; diem producendo, quo euocabit nos ab ergastulis nostris Deus, vt illi viuamus, & vigiles seruiamus in secula. Quoniam verò de morte est noster sermo, hoc non est silentio prætereundum, quòd scilicet omnis ferebat ratio, vt nos omnes Deo propter mortem filij eius qui in mundo mactatus est, odiosi fuissemus effecti; mors tamen in causa fuit, vt nos illi in gratiam rediremus. Itaque mors est omni vita dulcior.cùm per mortem vita nostra sit instaurata; cuius rei causa maius opus asserimus redemptionis, quàm creationis fuisse. siquidem dicto parebant omnia, nec res vlla voluntati Dei resistebat in creatione: at in recreatione obstabant culpa,peccatum,pœna, & corrupta voluntas nostra. Nam ante creationem nostram nihil à nobis committi potuit, propter quod creari non debuerimus; postea verò quàm iam creati,æqui fines transcendimus,ad non esse criminis atrocitate redacti sumus. Itaq; recreationi, hoc est introductioni nouæ essentiæ commissum obstabat crimen,cuius interturbatione, & obstaculo recreari nos minimè consentaneum fuerat; sed vicit se ipsam misericordia Dei: atq; vbi abundauit peccatum, abundauit & gratia: qua factum est, vt per mortem eius obice sublato peccati,ad pristinam, immo lōgè excellentiorem essentiam regeniti, & recreati fuerimus; sicq; bis à non esse ad esse, eius benignitate,perducti sumus; & tanto melius, ac perfectius posteriore quàm priore loco, quanto simplici esse præualet benè esse. Hinc mihi fatendum est, me quidem multum debere Deo meo creationis gratia; multò autem magis causa recreationis. Ipse enim sine vlla dubitatione cunctis,præualet creaturis: se ipsum verò pro me misero peccatore morti tradendo,palam vtique fecit creationi mortem esse præferendam. Et vt ego infinitum infinitè peccando offendi, sic ipse infinitum pro me debitum exsoluendo, vinculum mihi infinitæ obligationis iniecit. Non erat quippe finito mihi, quod infinito darem pro infinito creationis beneficio; at ipse infinitus IESVS se ipsum mihi dedit,vt me Deo consecrando, illum vnà mecum offerrem, sicq; cum infinito ipsi infinito satisfacerem. Quare duplex mihi cum Deo meo obligatio intercedit, naturalis vna,altera reatus causa; prior cæterarum creaturarum comparatione dignoscitur,posterior lapsum declarat, simulq; reparationē per CHRISTI

mortem ostendit. Huius ergo sacratissimæ mortis memoriam in perpetuum cœlum, in qua vitam meam sitam esse prorsus intelligo. Erit hoc itaq; speculum, in quo vitam meam moresq; cōponam. Sed, heu me miserum, quia in eo multa lacrymosa conspicio, nempe sanguinem, flagella, sputa, spinas, clauos, lanceam, mortem: vtinam verò non simul etiam reddat mihi tristem peccatorum imaginem, nempe culparum, transgressionum, commissionum, omissionum, negligentiarum, in summa, iniquitatum omnium. Cęterum quæ erit hæc commutatio, vt dem ego tibi, IESV mi domine, peccata mea: tu verò sanguinem des mihi tuum, carnem, & animam? si addidero laudes, & lacrymas, non eges his quoq; Deus, ideo nihil non tuū, præter peccata, quæ mea sunt, tibi dare potero. Reliquum est ergo, vt ad preces me vertā, & ad solam spem veniæ. sicut enim in cruce sacratissimam efflasti animam, sic & ego in morte, meritisq; tuis sperabo semper: vt in infernum misericordię gratia descendisti, ita & ego salutis meæ causa me ipsum ante crucem tuā humiliabo: vt in cœlum ad gloriam tuam ascendisti, sic & ego ad thronum tuum adorationis causa ascendere non verebor: demumq; vt tu ad patris dexteram resides, ita & ego deprecabor, vt ad cœlestis conuiuij mensam discumbere iubeas animam meam. Si enim dum abiectus homo, & inops versabaris in terris nullam vnquam flagitanti gratiam denegasti; cur modo de misericordia dubitabo tua, quando in sede maiestatis tuæ sedens verus Deus, & diues in omnibus peramplius, & perfectius elargiri potes? Dulce est nomen tuum, ò bone IESV. lucet enim prædicatum, pascit recogitatum, lenit, & vngit inuocatum, exercitatos reparat sensus; virtutes roborat, vegetat bonos mores, atque honestos, castas fouet affectiones. Nihil ita, sicut hoc nomen IESV iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, liuoris vulnus sanat, luxuriæ fluxum restringit, libidinis flammam extinguit, sitim auaritiæ temperat, atque omnis iniqui facinoris cupidinem auertit; cui si addas & CHRISTI nomen, tunc exprimit vnitatē personæ, in duabus naturis, exprimit etiam regiam, sacerdotalemq; dignitatem, & gratiæ plenitudinem propter vnctionis prærogatiuam. Ne, quæso, mi domine benignissime, respicias opprobrium meum, quia licet terræ fex ipse sim: tu tamen vermem dici te non recusasti. quod si ita est, indecorum videri non poterit, vt in fece moretur vermis, à quo si premi contigerit, non vtique Sabęos æmulabitur odores, immo argentum, & aurum floccipendet. Peccaui, fateor, & peccati me pœnitet mei. Dignus planè est morte, qui tibi CHRISTE, recusat viuere, & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. propter te ipsum Deus fecisti omnia, & qui sibi vult esse, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Si me vlla pœna adhuc manet, cùm me maximas meruisse fatear, tu tua ne dedigneris bonitate temporariam cum æterna commutare. quia sicut peccatorū reatum noui, ita pœnæ necessitatem agnosco. Si enim te oportuit pati, qui immunis eras à peccato, vt intrares in gloriam tuam, multò magis cōpatiendum est mihi, qui deliqui, vt ad non meam admittar gloriam. Da capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum, vt defleam

diebus,

diebus,ac noctibus delicta,& insipientias meas,vt non modo carnis ardores extinguam, sed & parata, quæq; promeritus sum æterni ignis incēdia, simulq; patri Deo gratum persoluam obsequium ; quia fluminis impetus lætificat ciuitatē Dei; & maius esse gaudium docuisti coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis pœnitentia nō indigentibus. Durum cor meum est,& peccati ignibus penè consumptum, patris item sanctissimi pectus nimia charitate exarsit,cùm te dilectissimum filium misit in mundum, vt nostra assumpta carne patereris, & morereris; ideo pijssime tu mi Domine ignem venisti mittere in terram,vt ipse effatus es: itaq; ignis accendat ignem;quin ignis extinguat ignem,nempe ardeat anima cœlesti igne,vt peccati, simulq; inferni extinguat ignem. Sic Petro contigit, & sanctis omnibus quorum ardens charitas lacrymas exiuit; illę verò ad extremum in risum versæ sunt. Hanc enim commutationem fieri solere testis est Magdalena, cuius peccata in cœlestem gratiā transmutata fuerunt: testis est latro,cuius à mundo damnati tormenta,in lætitiam cœlestis libertatis conuersa sunt. Quapropter & ego peccator omnium maximus,non absimilem spero sortem; nam si collacrymabo, & conridebo: si simul pœnitentia me ipsum macerauero,& conlætabor: si contorquebor, & conliberabor ; reddamq; pro charitate dilectionem : pro amarissimo calice, lacrymulam : pro doloribus,compassionem. Tu,tu mi domine IESV CHRISTE respice in me pijs oculis misericordiæ tuæ, inq; animam meam sanctissimæ passionis,& mortis tuæ memoriam imprime,in qua sola spem omnem æternæ vitæ sitam esse manifestum est; & si memoriale tuum à generatione in generationem transit, imprime illud lapideo cordi meo, & ita insculpe, vt nullam aliam vnquam impressionem recipiat, nullam insculptionem admittat. Ostendet hæc mihi profectò memoria mortis tuæ, mortalē me esse,nec diu in mundo permanere posse. Hæc vna, tutaque via mihi præmonstrata est, vt per eam, tuo adductus lumine, & vadam, & redeam,nihilq; præter tuam, meamq; recolens mortē, mori pro te meritò cupiam, sicut tu pro salute mea immeritò mori dignatus es. Asperges me domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. hyssopus enim mortis tuæ memoria est, quæ sicut primo haustu amara esse videtur, ita demum ægrotanti animæ salutem affert. Hæc dulce mihi distillabit nectar, quo & leuabo sitim, & satiabor tandem cùm facie ad faciem tuam dabitur contemplari maiestatem, in cuius solius fruitione omne bonum situm esse non dubito. His tandem sic exactis, completisq; recedunt turbæ,quę venerant ad spectaculum,& plangentes pectora in pœnitentiæ,dolorisq; significationem reuertuntur; Sola mater cum Ioanne Magdalena, & sororibus plorantes consistunt ad crucem. quis dolor,quis luctus,quæ fuerint lamentationes, qui piè meditatur, facilè conijcere poterit, si cum dolore amorem componere voluerit. Siquidem constat nullam vnquam matrem maiori filium suum,quam beata virgo, amore complexam fuisse. Sorores item sororis mœrorem, nepotisq; mortem maximè doluerunt. Ioannes insuper sobrinus domini, qui in cœna supra eius

pectus recubuerat, & arcana hauserat, quæ non licet homini loqui; quiq; tenerè admodum à viuente domino se dilectum esse, & paulo ante sibi matrem fuisse à moriente commendatam, memoria repetebat à lacrymis temperare minimè poterat. Magdalenam demum, de qua septem ille fugauerat dœmones, totam se in luctum dissoluisse certum est. Itaque totus aer lamentationibus replebatur, & veluti compatiẽtes ipsæ vicinæ rupes, & cliui querulas voces reddebant. Videres piam matrem erigentem se, manusq; vt filij pedes tangeret attollentem. Sed præ crucis proceritate cum attingere dilectissimos pedes non posset, crucem ipsam, humumque sanguine rorulentam positis genibus amplexantem adorare. Videres afflictam, & consternatam virginem diffusum & sparsum cruorem reuerenter omni ex parte pannis ac vestimentis colligere: mox affectam nimia lassitudine, cum pedes amplius officium suum facere nõ possent, humum prolapsam aduersus crucem cum sororibus vnà consedisse. Quæ cogitationes, qui dolor, quæ suspiria anxium, castumq; pectus exagitauerint, nemo quisquam verbis exequi sanè potest. Siquidem amantissimum, innocentissimumq; filium duris clauis in cruce suffixum, spinea corona redimitum, fumantem adhuc sanguinem, turgida vulnera, totumq; lacerum corpus aspiciebat; nec áuertere oculos inde poterat, nec animum à contemplatione abducere. Solabantur illam quidem sorores, nepos & Magdalena; egebant tamen ipsi quoque non minus consolatione, qui mirè affligebantur Iudęorum rabiem intuentes, quamq; dirè, & inhumaniter secum egissent recogitantes. Interea maximus auditus est armorum fragor, & equorum strepitus; nec mora, adsunt milites, atq; carnifices iussu Præsidis effracturi pendentium CHRISTI, & latronum crura, ne maximo illo die sabbati crucibus appensa remanerent corpora; & latronum quidem tibias perruperunt: ad IESVM autem cum venissent, & iam prorsus extinctum offendissent, eo labore leuati, abierunt; vt impleretur propheticum vaticinium, in hæc verba præcantatum: os non comminuetis ex eo. Ex cuius obitus celeritate, tum dolorum, tormentorumq; acerbitatem, tum verò carnis, & membrorum teneritudinem coniectare licet; vel etiam summam illam ponendi animam suam, potestatem. Quoniam verò viuentem Iudęi intestino odio persecuti fuerant, mortuo quoque parcere noluerunt; ideo præ longa, peracutaq; sarissa latus eius dexterum aperuerunt; impletaq; tunc scriptura est, dicens: Videbunt in quẽ transfixerunt. Euestigio autem manarunt ex eo vulnere largi sanguinis, & aquæ riui, iuxta illud: apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Hoc autem vulnus non domino tantum illatum est, verum & ipsa mater hoc eodem transfossa est iuxta illud Simeonis: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Steterat illa, dum vixit filius; eo mortuo sedit, sed, aperto latere, cecidit semianimis inter Magdalenæ brachia. nullum certè proferebat verbum, exanimato filio, sed altum premebat corde dolorem; nam quoties in charissimum filium sæuitum est, toties illius anima sanctissima transuerberata doloris gladio extitit. Et quamuis efflasse eum iam agnosceret animam, videretq; pendentem in cruce, & in-

ter latrones,totum lacerum,totumq; nudum,& duris clauis terebratum; nec querulas tamen edere voces audebat,nec fari poterat,ne sæuius etiam aliquid in eum patrarent hostes. Hem quid agitis oculi mei? ficci ne semper eritis? videte qualia passus est dominus, quare passus, & pro quo passus. mortem passus est,crudelem, infamem; pro seruo,pro inimico, pro rebelle. amor in causa fuit cur pateretur absq; vlla retributionis spe. Videte innocentes manus,inerme latus,immaculata vestigia,pro auaro, iracundo,& deuio traiecta. cernite redemptoris supplicium, simulq; attendite redempti delictum. hic enim est in quo dolus nullus inuentus est,inter iniquos tamen deputatus est. hic percussus est propter scelera populi, dilectus tamen est, in quo pater sibi bene complacuit. Nudatum candet pectus. rubet cruentum latus, arent tensa viscera, decora languent lumina,regium os pallet, procera rigent brachia, crura pendent marmorea: vnda sanguinis rigat sanctissimos pedes, augustissimam frontem pungit spinea corona. Ast pia mater complicatis manibus, strictis labijs, firmis oculis,immotisq; pupillis dilectissimum intuetur filium,nec sororum cohortationes, nec Magdalenæ preces, nec Ioannis suasio, aut oculos eius, aut animum abstrahere inde possunt. Iam verò quia inclinat dies, noxq; appropinquat,quid sibi agendum sit,non satis consilij mater, cæteriq; cõsedentes capere possunt. Si inde auellere corpus velint,nulla forceps, nulla est illis scala, nullum auxilium, immo ad deponendum, sepeliendumq; nullæ prorsum suppetunt vires. Si recedant,nec fert animus,nec amor patitur. Si diutius morentur, horret animus noctis tempore clausis ciuitatis portis solas esse in ea solitudine. Dum verò hisce curis exagitantur; ecce Ioseph nobilis Decurio ab Arimathia ciuitate, occultus CHRISTI discipulus ob Iudęorum metum,vir iustus,& timens Deum,qui non consenserat Iudęis,neque consilijs,aut actibus eorum; indignè ferens corpus diutius insepultum manere,cum refigere illud,ac sepelire,iam cõsentiente Pilato,in animum induxisset,assumpto secum Nicodemo itidem occulto CHRISTI discipulo, venit ad Caluariæ locum, vbi nixus genibus prius adorat dominum, mox vterq, scalis admotis sese erigit in crucem. clauo dehinc forcipe mordicus euulso, hic dexteram refigit: ille manum cadentem & brachium sustentat. mutatis inde scalis, sinister extruditur clauus,& exangue corpus in pectus,& humeros Iosephi recumbens sustinetur,donec,educto pedum clauo,reclinatum, amplectitur lugẽs mater, tandem iuuantibus cæteris sensim deponitur in terram. exceptum caput & humeros, mater gremio confouet: Magdalena apprehendit, & osculatur pedes,apud quos tantam inuenerat gratiam,& misericordiam. Circũstant alij plorantes,& inconsolabiliter lugentes,orat Ioseph dominam, vti corpus condi patiatur; flens illa à charissimo filij complexibus euelli non potest: osculatur sæpe pallidam faciem,repetitisq; basijs,tum frontis serenissimæ,tum oris elegantissimi venustatem delibat. aut sinite,me,inquiens, diutius filij mei iucundissima facie potiri: aut vnà cum illo me miseram sepelite. hem,quæ contemplatio deinceps? quæ consolatio dabitur miseræ? O crudeles spinæ, quæ filij mei pupugistis sacratissimum

caput;

caput; ò truces claui, qui manus, ac pedes creatoris vestri traiecistis; ò dira flagella, quæ membra delicata fregistis, & concerpsistis. O sæuiores carnifices, qui rutilantem depilastis barbam, diuinamq; faciem purulentis sputis conspurcastis. manus, ac pedes duris clauis perterebrastis. omnium crudelissimus miles, qui etiam mortui cor lanceæ mucrone aperire non abhorruit. hæc dicens, vulnera lacrymis abluebat, eademque indesinenter sudario tergebat. Magdalena pariter, quæ viuentis pedes compunctionis lauerat lacrymis, nunc compassionis eosdem mortui rigare non desinit. rimas osculatur, sanguinem veneratur, pedes adorat. Flebant cuncti, & suspirijs ex imis cordibus petitis aerem replebant. O si corporeis oculis Angeli, & Archangeli cerni potuissent, vidisses cunctos beatos spiritus pientissimæ matri condolere, magnisq; agminibus lacerum domini corpus adorare. Luge & tu anima mea, quia quæ passus est dominus tuus tui causa passus est. Etenim diuinum caput ob id spinis perforatum est, ne tua sauciaretur intentio, ne ve à superbiæ peccato elata demergereris in profundum. Caligauerunt in morte sancti oculi, duoque illa cœli luminaria obtenebrata sunt; vt auerterentur oculi tui ne vanitatem viderent, vel si viderent, non tamen adhærerent ei. Aures illæ quæ semper in cœlis audiunt voces illas clamantium: Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus Sabbaoth, quæque in terris audiuerunt blasphemias, & improperia, dœmoniacasq; voces illas, crucifige, crucifige eum, obsurduerunt; ne tu ad pauperis clamorem viscera clauderes pietatis. Os illud, quod habuit verba vitæ, quod docuit Angelos, & instruxit homines, quodque dixit, & facta sunt omnia, felle collutum est, & aceto; vt os tuum laudes diceret domino Deo tuo, veritatem loqueretur, & iudiciũ, gulæque non indulgeret. Decora facies speciosi forma præ filijs hominum, sputis illita, colaphis cæsa, totaq; contusa est; vt facies tua illustraretur, & illuminaretur, illuminata confirmaretur, & de te tandem diceretur: Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Manus illæ quæ terræ fundamenta iecerunt, quæq; extenderunt cœlos, in cruce extensæ sunt, peracutisque clauis confixæ; vt manus tuæ extenderentur ad inopem, & non auarè quid agerent. Pectus sanctissimum, in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei absconditi, militari lancea perfossum est; vt pectus tuum, omnibus abiectis prauis cogitationibus mundaretur, mundatum sanctificaretur, sanctificatumque seruaretur, & sancti Spiritus fieret habitaculum. Pedes illi, quorum scabellum vt sanctum adorandum est, transfixi sunt trabali clauo; ne pedes tui laberentur in malum, sed gressus dirigerent in semitas mandatorum Dei. In summa, quæcunque passus est dominus tuus, pro te passus est, vt mente semper impressam conseruares eius bonitatem, & charitatem mirareris, qua dilexit te, simulque illi tu pro amore dilectionem, pro charitate affectum cordis rependeres. Age verò orat Ioannes dominam, vti iam temperet à lacrymis, patiaturque sepeliri corpus, orant sorores, simulque Magdalena, Ioseph, & Nicodemus, Sabbati diem aduentare dicentes, quo talia fas non est operari: imminere dehinc Iudęorum calumniam asseuerant,

rant, ideoque non esse diutius immorandum. Permittit tandem domina, precibus, & rationibus victa; repetensque memoria Ioanni se fuisse à filio commendatam, non esse sibi vlterius resistendum putat: Quare signatum, benedictumque à se corpus, componi ad sepeliendum finit. vngunt illi, Tyriaque sindone munda obtegunt, & inuoluunt, atque aromatibus condiunt. Pedes diu lacrymis rigatos, osculatur, tergit, adorat, & aptat Magdalena. Caput solum superest obtegendum; huic mille figit basia pia mater: Redintegratur luctus, nec domina modò, sed cuncti simul condolentes plorant. illa faciem faciei charissimi filij admouens hanc astringit, irrigat, tergit, & aptat sudariolo. Flexis omnes genibus adorant, sustollunt, & in vicinum important hortum. Domina caput, Magdalena pedes, reliquas corporis partes sustinent cæteri, deuotéque deferentes corpus, in monumento nouo, quod excisum fuerat in petra, & in quo nemo quisquam positus adhuc fuerat, deponunt, & sepeliunt. Funus prosequuntur Angeli, & homines; siquidem tristè canunt illi flebilibus modis laudes domini; hi gemitibus, & suspirijs, vicem suam dolent. Dum luget domina, & venerandum deosculatur sepulchrum, accedit Ioannes plorans, eamque surrigit, & è monumento educit. Euestigio reliqui ad ostium ingentem lapidem deuoluunr, vt inde paulo post recedant: verum enimuerò diuelli vix potuit dulcis mater, quæ sedens contra sepulchrum, quantum in ea fuit abitionem differebat. Solatur eam quantum potest Ioannes, hortaturque vt vnà secum ad vrbem contendat, ne aduentante nocte, vel ibi pernoctare, vel intempesta saltem nocte ciuitatem adire cogerentur; illa verò natura mitis, & placida, dicto parens, surgit, genua curuat, adorat, osculaturq; sepulchrum, & Ioannem sequitur lento gradu, vtpotè quæ maximis excruciata doloribus, præ lassitudine, vix consistere poterat. Procedentibus illis, prior domina flectit genua, crucemque adorat, quæ & prior natum adorauerat filium: Cùm verò ciuitatem versus iter arripuissent, vertebat sæpe se domina, & respiciebat, à loci conspectu ceu consolationem acceptura; ita fit, vt qui verè amant, ex solius etiam loci, & domus amati visione voluptatem capiant. Tandem omnes vrbem ingrediuntur; occurrunt certatim boni, bonæq; viri, & matronæ, virgines dehinc abeuntem sequuntur; flent omnes, condolent, & compatientes ad suas quisque domos eam inuitant: siquidem nulla illi omnino certa erat sedes, sicut nec filio fuerat, qui in aliena humili domo natus est, viuensque non habuit vbi reclinaret caput, nec moriens vnde nuditatem tegeret, minus verò quo mortuus inuolueretur, aut vbi sepeliretur. Peruentum est tandem ad Ioannis ædes, cumq; domina ad fores constitisset, vertens se ad matronas, quæ se illi comites præbuerant perhumana, & diuinis moribus respondente salutatione gratias egit, vnà commorata est domum ingressa, cum Ioanne quamdiu in humanis fuit: cuius viduitatem, egestatemque ille miro leuauit obsequio. Tu verò anima mea si matri non condoles, si tantis in perturbationibus non commoueris, omni profectò silice te duriorem fateri, necesse habes. Laua, laua & tu lacrymis compunctionis sacratissimum domini

mini tui corpus, totum cruore respersum; orationis vnguentis lini: charitatis, humilisq; operations brachijs defer: sepeli cum aromatibus bonæ conuersationis, doctrinæ, & exempli. adde gemitus, suspiria, lacrymas, & fletum: sub amoris, deuotionisque pauimento tege, in sindone mundæ conscientiæ, & castæ mentis: sudario laboreque pœnitudinis, & inibi sedens iuxta illum ad monumentum præstolaberis resurgentem. Tu bone IESV, qui sepeliri voluisti, & custodiri, concede, vt in lapideo corde meo spiritualiter te sepeliam, lugeam, & diligenter custodiam; vt vnà tecum consepultus, merear & ego ad resurrectionis gloriam peruenire, tecumque regnare, qui cum patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in secula seculorum. Amen.



VTINI, M. D. XCV.

*Apud Io. Baptistam Natolinum.*